DE

FIDE CODICIS VERONENSIS

CUM

RECENSIONE VICTORIANA

COMPARATI.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

GOTTINGENSI IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUILIELMUS JUNG

HANNOVERANUS.

HANNOVERAE,

APUD CULEMANNOS.

MDCCCLXXXI.

Hermanno Sauppio

praeceptori carissimo

grato fideliqne animo

dedicavit

W. J.

De fide codicis Veronensis

cum

recensione Victoriana comparati

capita duo.

Etsi haud parvam affert dubitationem, rem, de qua jam duo homines docti, Th. Mommsenus (*T. Livii ab urbe condita Lib. III—VI, quae supersunt in codice rescripto Veronensi: descripsit et edidit Th. Mommsen, Abhandl. der berl. Akad.* 1868) et Wodrigius (*De codicis Veronensis auctoritate Gryphiswaldiae* 1873) disseruerunt, denuo attingere, tamen duae rationes me commovent, ut ea, quae diutius in codicis Veronensis condicionem inquirendo invenerim, pro virili parte breviter proponam. Ac primum quidem, cum satis constet, codicem Veronensem ad aliam recensionem redire (*cf. Mommsen l. d. p.* 176) atque libros, qui subscriptionem Victoriani et Nicomachorum habent quique adhuc primae decadis textus fuerunt fundamentum, post totius codicis editionem a Mommseno accurate absolutam ante omnia fieri debuit, ut discrepantes duarum recensionum lectiones in diversa genera distribuerentur atque similibus locis ubique comparatis de auctoritate earum judicium via ac ratione ferretur. Sed Mommsenus, cum vitia codicis Ver. summa diligentia colligeret (*cf. pag.* 173 *seqq. et* 181 *seqq.*), locos, quibus alteri recensioni praestaret, permultos ille quidem enumeravit, verum ut classes discrepantiarum constitueret itaque compluribus exemplis juxta collocatis singulorum scripturam firmaret, operam non impendit. Quo factum est, ut non solum ipse fidem libri a se editi non satis aestimaret, sed etiam

judicii sui gravitate, quae etiam apud Madvigium valuit, alios praeter Wodrigium ab intentiore quaestione deterreret. Wodrigius autem, etiamsi de nonnullis lectionibus perbene egerit (*cf. Philol. Anz. VI, pag.* 150/151; *Müller: Berichte des berl. philol. Vereins* 1873 *pag.* 95 *seqq.*), munus totius excutiendi codicis non absolvit, quia et ipse omnium locorum, qui ab altera recensione recedunt, collationem instituere noluit. Quae cum ita sint, altera causa, cur Veronensis patrocinium suscipiendum ducam, jam facile intellegi poterit. Exstat enim haud exiguus locorum numerus, qui in constituendis Livii verbis prorsus neglecti sunt, quamquam Veronensis scriptura genuinae lectionis speciem prae se fert vel proxime ad eam accedit, deinde iterum atque saepius judicii quaedam inconstantia apud editores praecipue apud Weissenbornium est in eiusmodi locis, quorum conformatio ex sola auctoritate pendet. Quin hic in novissima editione Teubneriana (*Leipzig* 1879) Veronensis lectiones, quas in editione Weidmanniana (*Berlin* 1874) receperat, fere omnes ejecit (*cf. Prooem. ad. ed. Teubn. pag. LXXIV*).

Quomodo vero ratio, quae inter recensiones intercedat, recte cognoscatur, praeclare docent Prolegomena Aug. Luchsii ad editionem posterioris tertiae decadis partis (*Berlin* 1879), qui dispertitis in diversa capita variis Puteanei et Spirensis lectionibus de gravioribus locis ipse disputavit, nonnullos diligentissime collectos aliis retractandos permisit. Eadem via ac ratione si etiam Veronensis scripturas ab reliquorum librorum consensu recedentes contulerimus, de momento atque auctoritate vetustissimi codicis, recte judicabimus. Sed quoniam omnes recensionum discrepantias uno tractatu complecti longum est, de duobus tantum generibus, quorum homines docti minimam adhuc rationem habuerunt, de verborum ordine atque de formis verbalibus [1]), exponendum videtur.

Priusquam autem ad ea, quae mihi proposui, accedam, duas res explicare mihi liceat, quarum altera ad artem criticam faciendam, altera ad nomen recensionis, quae vulgo Nicomachiana appellatur, pertinet. Quam significationem apud recentiores

[1]) Exclusis paucis, ubi verbi forma propter graviorem totius enuntiati interpolationem a Victoriano vel Nicomachis mutari debuit velut 3, 64, 10 (*cf. Momms. l. d. pag.* 190); 4, 12, 10 (*cf. Momms. pag.* 194); 5, 33, 3.

(Mommsenum, Madvigium, Wodrigium, Weissenbornium) obviam equidem haud probarim, quia ex subscriptionibus librorum apparet, Nicomachum Dextrum libros III, IV, V, Nicomachum Flavianum libros VI, VII, VIII, Victorianum quendam totam decadem recensuisse *(cf. Otto Jahn: Ber. der sächs. Gesellschaft der Wiss.* 1851 *pag.* 335 *seqq.).* Recte igitur Hertzius in prolusione editionis suae *(pag. XXXI)* recensionem illam „domnis Symmachis" factam „Victorianam" nominavit, eoque referenda sunt, quae Symmachus scripsit in Epist. IX, 13: „munus totius operis, quod spopondi, etiam nunc diligentia emendationis moratur" *(cf. Jahn l. d. pag.* 337*).* Quomodo vero factum sit, ut subscriptiones Nicomachorum una cum Victoriani inveniantur, utrum hic suam cum illorum exemplaribus operam contulerit *(cf. Drakenborch Vol. XV, pag.* 618*),* an postea in codice illo derivato *(cf. Madvig Em. Liv. Prooem. pag.* 5*)* Nicomachorum et Victoriani recensiones conjunctae sint, ad quod credendum duplices Medicei et Wormaciensis *(Rhenani)* lectiones saepius cum Veronensi congruentes ducant, nunc quidem decernere non ausim. Quoquo modo res sese habet, non codicem neglegenter exaratum, verum recensionem a viris ab litterarum studio haud alienis susceptam habemus. Ita enim rectius dicendum erit *(cf. Niebuhr: Röm. Gesch. II,* 207 „wir hängen bei der ersten Dekade an dem Faden eines einzigen Urexemplars, dessen Text durch eine sehr leichtfertige Recension angeordnet ist"), quia rebus publicis et Victorianus et Nicomachi maxime interfuerunt ideoque in otio tantum eos restituendis vel sustinendis antiquis litteris operam dedisse verisimile est, cum Mommsenus passim viros doctos eos vocet.

Jam vero ratio, qua Livii verba emendarunt, magis antiquitatis litterarumque amatorum quam grammaticorum vel hominum doctorum est, cujus rei certissimo argumento, ut de aliis taceam, sunt ei loci, ubi exhibentes easdem, quas Veronensis, mendas archetypi lectiones aperte falsas esse non perspexerunt *(cf. Momms. l. d. pag.* 179*; Madvig. Em. Liv. Prooem. pag.* 39 *seq.).* Est enim, quod recte Mommsenus Zumptium secutus approbante Madvigio *(l. d. pag.* 38*)* exposuit, Veronensis aut ex eodem, quo altera recensio, codice aut ex libro gemello descriptus, ita ut Victorianus et Nicomachi exemplar

haud valde a Veronensis archetypo differens in manibus habuerint. Itaque praeter minores discrepantias librariorum neglegentia ortas omnes lectiones recensionis Victorianae a Veronensi discedentes tribuendae sunt Victoriano vel Nicomachis: Quare mea quidem sententia parum probabile est, quod Mommsenus *(pag.* 177 *seqq.)* et Wodrigius *(pag.* 3 *init.; pag.* 8 *ad* 3, 19, 1; *pag.* 27 *ad* 4, 56, 1; *alibi)* assentiente libro aliquo alterius recensionis scripturam Veronensis confirmari arbitrantur, cum propter commune illorum librorum archetypon eiusmodi scripturas cum Veronensi congruentes aut fortuitas aut in libris secundi ordinis a correctore profectas esse necesse sit. Cui rei optimo documento est codex Leydensis, qui saepius quam ceteri meliores recensionis Victorianae libri Veronensi adstipulatur, cum omnes loci cum hoc consentientes ita comparati sint, ut concentus sive in falsis sive in rectis lectionibus facile casu existere potuerit *(cf.* 3, 7, 7; 3, 12, 5; 3, 30, 4; 3, 34, 8; 3, 35, 7; 3, 38, 4; 3, 42, 4; 3, 44, 7; 3, 61, 13; 3, 63, 4; 3, 68, 3; 4, 7, 4; 4, 12, 3; 4, 13, 3; 4, 17, 1; 4, 17, 4; 4, 56, 12; 5, 4, 7; 5, 9, 1; 5, 44, 3; 5, 49, 6; 5, 52, 13; 6, 1, 8; 6, 4, 6; *de* 3, 7, 7; 3, 12, 5; 3, 42, 4 *vid. Drak.).*

Si igitur de scriptura inter ipsos libros recensionis Victorianae non convenit, primum id agitur, ut ex illis eam conformationem eruamus, quae fuerit archetypi. Deinde in omni graviore recensionum differentia hoc quaerendum est, num falsa praebeat Veronensis et, si tradit, quomodo eius corruptelam ortam esse cogitemus. Ubi jam vitii vestigia sequentes Victorianum et Nicomachos correxisse intellexerimus, via ac ratione mendam expulsam esse credemus. Sed haud raro vitium communis fontis ita illud quidem, ut sensui satisfaciat scriptura, verum ut originem mendae non respiciat, mutatum esse nonnullae lectiones a Mommseno et Wodrigio e codice Veronensi restitute demonstrant velut 3, 6, 5; 3, 8, 6; 3, 36, 10; 3, 64, 2; 4, 35, 4 aliae. Quid? si utraque recensio lectionem sermoni Liviano convenientem exhibet, nonne, quoniam Veronensem ab incurioso librario exaratum, alterius recensionis verba adhibito exemplari mendis confertissimo a viris litterarum studio deditis conformata esse scimus, interpolationis suspicio in correctores

cadat necesse est? Etenim si librarius rudis atque inconsultus, quem ne singulas quidem voces recte legisse apparet, ad arbitrium mutasset, mirifico casu factum foret, ut scripturam probam usuique Liviano dicendi prorsus accommodatam substitueret. Ab altera parte nihil verisimilius est, quam in emendando corrupto maxime exemplari Victorianum et Nicomachos nimis in tradita verba suspiciosos etiam rectam sed minus usitatam conformationem expulisse atque ita in interpolandi vitium incidisse *(cf. ad* 4, 17, 9 *pag.* 8 *seq.)*. Sed haec quidem hactenus.

Jam ut ad alterum discrepantiarum genus, ad formas verbales, aggrediar, ei loci praemittendi videntur, in quibus codex Veronensis aperte falsa praebet:

1) Errores orti litteris „n" et „m" prave additis vel omissis:

Veronensis:	Victoriana:
3, 12, 6: malet	mallent
3, 21, 2: ferre	ferrent
3, 29, 8: aberat	aberant
3, 30, 4: vincebanturque	vincebaturque
3, 30, 4: elusesset	elusi essent
3, 35, 2: paterent	pateret
3, 38, 4: opus sint	opus sit
3, 67, 2: scisse	scissem
3, 68, 7: persequentur	persequetur
4, 7, 9: relinquere	reliquere
5, 7, 12: placerent	placere
5, 33, 4: constant	constat
5, 45, 7: praefecerat	praefecerant
5, 50, 3: essent	esset
6, 6, 7: concessisset	concessissent
6, 6, 14: provideant	provideat
3, 68, 7: fungitis	fugitis
5, 45, 1: funere	fuere

Accedit alia vocis depravatio:

4, 58, 2: penderetur	peteretur
5, 55, 1: petiebat	pertinebat

Veronensis:	Victoriana:
Correctura in rec. Vict. non vera est:	
3, 44, 7: celebratum	celebrabatur
4, 27, 3: videret	viderant
4, 58, 4: restari nuntiabantur	restare nuntiabantur
5, 3, 5; videretur	rentur
5, 53, 2: transmigrarentur	transmigraremus

de quibus locis vide infra.

2) Errores orti aliis litteris prave additis vel omissis:

3, 7, 8: impleant	implent
3, 35, 8: posse	posset
3, 35, 10: improbant	improbabant
3, 61, 8: terrent	tererent
3, 65, 8: continueret	continuere
4, 7, 7: coire	coiere
4, 11, 2: fore	foret
4, 14, 3: proponere	proponeret
4, 14, 3: imploraret et	implorare et
4, 24, 4: esse	esset
4, 58, 3: esse	esset
5, 4, 5: posse	posset
5, 44, 5: ceperet	cepere

3) Errores orti mutatis prave litteris:

3, 21, 7: impenderit	impenderet
3, 22, 5: ceditis	cedatis
3, 29, 6: abdicassem	abdicasset
3, 44, 7: celebratum	celebrabatur
3, 61, 8: sustinebant	sustinebunt
4, 13, 7: relatus	relatum
5, 39, 7: supererut	supererat
5, 41, 9: starena	starent
5, 45, 4: oppugnari	oppugnare
5, 51, 1: erat et	eram et
5, 53, 5: relinquine	reliquisse

4) Errores recensionibus communes:

4, 54, 9: „dicerent et", pro: „dicere et"
5, 41, 6: „rediebant" pro: „redibant".

Quae vitia talia sunt, ut summam librarii incuriam atque mirum stuporem demonstrent, tamen minime omnia ipsi tribuenda, sed magnam haud dubie partem ex archetypo propagata esse docent cum mendae eaedem in recensione Victoriana exstantes tum eae, in quibus Victorianus vel Nicomachi, cum in codice suo invenissent atque, ut corrigerent, operam navarent, originis corruptelae rationem non habuerunt. Itaque cum plurimae corruptae verborum formae ab illis legerentur, facile fieri potuit, ut omnis rarior conformatio suspecta esset et adeo emendandi studio raperentur, ut verba etiam recte tradita temere interpolarent. Si igitur in eiusmodi locis, ubi utriusque recensionis scriptura per se ipsa sensui satisfacit, causa, cur mutare voluerint illi viri, apparet, haud neglegendus saltem Veronensis videtur; si vero aut sermo Livianus aut loci condicio lectionem Veronensis magis commendat, sine ulla dubitatione recipienda est. Accedentibus jam ad singulos locos, temporum discrepantias priore loco ponere nobis liceat, quia compluribus exemplis Victoriani et Nicomachorum mutandi ratio praeclare intellegitur.

Locum, qui est 3, 44, 4 *[„postquam omnia pudore saepta animadvertit“ Ver., „animadverterat“ Vict.]* Weissenbornius in annotatione editionis Weidmannianae tractavit quaestionemque de eo ad finem perduxit, cum ex usu dicendi Liviano Veronensis formam veram esse demonstraret. Mutarunt autem Victorianus vel Nicomachi, quod, si non expresse addidit, tamen certe ille perspexit, ut similem verborum exitum, „animadvertit“ — „convertit“ evitarent *(cf. Momms. l. d. pag.* 188*)*. Legitur enim in fine insequentis enuntiati perfectum „convertit“, quare in antecedentis enuntiati forma „animadvertit“ et ipsa ultimo loco posita quadam juris specie offenderunt. Sed conferantur collecta a Weissenbornio homoeotelenti exempla, quorum numerus facile augeri potest velut innumerabilibus locis, qui perfecta in „ere“ cadentia in fine duarum deinceps enuntiationum exhibent (3, 43, 4; 2, 65, 6). Quin etiam multo rarior est conjunctio formarum diverso exitu („ere“ — „erunt“) in sententiis propinquis arteque cohaerentibus, ut in prima decade pauca tantum exempla indagaverim: 4, 59, 10; 6, 22, 4; 10, 15, 4; 10, 25, 5.

Quae res probabiliter Victorianum vel Nicomachos induxit, ut 5, 5, 5 pro rariore sermonis usu id, quod nihil insueti haberet, substituerent et pro perfecto „duxere“ „duxerunt“ propter insequentem formam „fecerunt“ scriberent. Nam non verisimile est, rudem Veronensis librarium, quo variaret tres in „erunt“ terminatas formas „voluerunt“, „duxerunt“, „fecerunt“, mediam mutasse, immo vero multo facilius propter finitima perfecta „voluerunt“ et „fecerunt“ verbum „duxere“ in medio positum ab inconsulto homine illis accommodari potuit. Sed religiose traditum „duxere“ servavit.

Locis 3, 44, 4 et 5, 5, 5 adjungendus est tertius 4, 17, 9, quoniam sicut 3, 44, 4 de perfecti et plusquamperfecti discrepantia et de consuetudine recensionis Victorianae expellendi rariora, cujus in tractando posteriore loco 5, 5, 5 mentionem intuli, agendum erit.

Legitur 4, 17, 9 „is magistrum equitum ex collegio prioris anni, quo simul tribuni militum consulari potestate fuerunt *[Ver.; „fuerant“ Vict.;]* . . . . dixit“ atque concedendum est, Veronensem rarum haud dubie perfecti temporis usum exhibere *(cf. Kühnast: Livianische Syntax pag.* 210*)*. Ut nihilo tamen secius eum hoc loco probemus, movent multa exempla, in quibus rariori Veronensis conformationi vulgatior supposita est velut:

3, 6, 6: „discessere socii pro tristi nuntio tristiorem domum reportantes“ Ver.; „referentes“ Vict. cf. Wodrig ad. h. l.

3, 30, 4: „in agrum Romanorum“ Ver.; „in agros Romanos“ Vict. cf. Weissb. in annotatione editionis Weidm.

3, 42, 4: „persecutis hostibus nusquam se aequo certamini committentes“ Ver.; „persecutis hostibus nusquam se aequo certamine committentes“ Vict.; cf. Weissb. in annot. ed. Weidm.; et „Nachträge und Berichtigungen“ pag. 405.

3, 14, 3: „id maxime, quod Caesonis sodalicium erat“ Ver.; „sodalium erat“ Vict.; cf. Wodrig ad. h. l.

3, 65, 4: „adeo rogaret“ Ver.; „usque eo rogaret“ Vict.; cf. Weissb. in annot. ed. Weidm.

3, 64, 6: „auctores popularis sententiae haud populari nactus“ Ver.; „auctores popularis sententiae haud populares nactus“ Vict.; cf. Weissb. in annot. ed. Weidm.

3, 18, 10: „multi exulum caede sua foedavere templa“ Ver.; „templum“ Vict.; cf. Luchs Proleg. pag. CXXXVIII ad 29, 18, 16. Aliter Weissb. ad 3, 18, 10.

4, 7, 6: „iram moderatos Ver.; „irae moderatos“ Vict.; cf. Weissb. in annot. ed. Weidm.

4, 36, 4: „ad rem aspiciendam“ Ver.; „ad rem inspiciendam“ Vict.; cf. Weissb. in annot. ed. Weidm.

5, 5, 6: „rursum“ Ver.; „rursus“ Vict.; cf. 43, 20, 4.

5, 32, 8: „per id tempus“ Ver.; „per idem tempus“ Vict.; cf. 9, 14, 1; 39, 38, 4; Weissb. ad 40, 13, 8.

5, 41, 1: „turba seniorum domos regressi expectabant“ Ver.; . . . . regressa exspectabat“ Vict.; cf. Weissb. ad. h. l.

5, 51, 5: „omnia prospera evenisse“ Ver.; „omnia prospere evenisse“ Vict.; cf. Weissb. ad. h. l.

Praeterea conferantur loci, de quibus in capite de ordine verborum disseram 3, 38, 5; 3, 42, 6; 3, 67, 3; 4, 13, 5; 4, 23, 1; 4, 55, 1; 6, 6, 9.

Quod vero 5, 39, 12 ex vulgatis grammaticae regulis pro deficiente conjunctivo futuri exacti post verbum regens praeterito tempore usurpatum *(§. 9 placuit)* conjunctivus plusquamperfecti „superfuisset“ *(cf.* 4, 35, 9*;* 8, 30, 11*;* 22, 34, 7*;* 23, 11, 5*;* 24, 32, 8*;* 28, 33, 10*;* 31, 8, 3*;* 34, 11, 2 *alibi)* invenitur, Victorianus contra paullo inusitatiorem conjunctivi perfecti formam exhibet *(cf.* 2, 64, 8*)* ex sermonis maxime Liviani usu, qui „repraesentatio“ vocatur *(cf. Kühnast l. d. pag.* 221/222*)*, non causa est, cur Veronensem similis interpolationis insimulemus. Etenim „repraesentatio“ tam frequens apud Livium in oratione obliqua est, ut nihil fere insueti habeat, deinde adversus Weissenbornii sententiam, qui formam „superfuisset“ proximo verbo „superessent“ accommodatam esse suspicatur, dicendum est, variandi gratia, sicut in antecedenti paragrapho „cultum deorum“ propter vicinum enuntiatum „sedes deorum“ in „cultum eorum“ depravatum est *(cf. quae ad* 4, 24, 6 *collegi pag.* 37 *seqq.)*, etiam hoc loco genuinam lectionem a Victoriano vel Nicomachis esse expulsam. Comparari autem ex exemplis ad 4, 24, 6 allatis (4, 13, 8; 4, 25, 13; 4, 7, 8; 5, 39, 11; 6, 3, 8) potest maxime 4, 7, 8 *[„vicere patres“ Ver., „vicerunt patres“ Vict.]*, quo loco correctores illi, cum in quattuor eius-

dem exitus perfectis „coiere", „creavere", „vicere", „reliquere" offenderent *(etsi injuria cf. Wölfflin: Liv. Krit. und Liv. Sprachgebrauch p. 7)*, in verba tradita grassati videntur. Commendatur etiam Veronensis forma in „ere" terminata ea re, quod similibus locis haec saepius (4, 25, 14 *„vicere tamen tribuni"*, 4, 25, 1; 4, 30, 15, 2, 55, 11) illa *(„erunt")* rarius (4, 16, 6: *„pervicerunt tribuni")* in initio enuntiati collocata est. — Ab altera parte ex exemplis, quae priore loco ad 4, 24, 6 contuli, verisimile est, duobus aliis locis 3, 20, 7 *[„velint" Ver.; „vellent" Vict.]* atque 6, 6, 9 *[„posset" Ver.; „possit" Vict.]*, qui sicut 5, 39, 12 oratione obliqua continentur, et 3, 20, 7 imperfecti conjunctivum ad antecedentes eiusdem temporis formas „posset", „esset", „abrogaretur" et 6, 6, 9 praesentis conjunctivum ad insequentia praesentia „sit", „efficiat", „attineat" a Victoriano vel Nicomachis conformatum esse.

Veniamus ad 4, 17, 11, de quo paullo amplius disputandum est. Praebent libri Victoriani, ut totam paragraphum exscribam „cum potestas major tum vir quoque potestati par hostes ex agro Romano trans Anienem submovere; collesque inter Fidenas atque Anienem ceperunt referentes castra nec ante etc.", in quorum conformatione jure Weissenbornius propter subjecta dure variata enuntiatorum „cum potestas — submovere" et „collesque — castra" haesit. Contra exaratum est in Veronensi „cum potestas — submovere colles, quos . . . . . — ceperant referentes castra etc." atque haud dubie recte Weissenbornius aliam lectionem eo indicari censuit. Quae, ut sententiarum nexui atque enuntiatorum constructioni conveniat, ita comparata esse debet, ut subjectum novum *(hostes)* atque verbum praedicati vice fungens praebeat. Sed priusquam constituendis Veronensis verbis operam demus, circumspiciamus, num alibi quoque similis librorum condicio reperiatur, ut Veronensis lacuna in recensione Victoriana expleta sit, et videamus, qua via ac ratione Victorianus vel Nicomachi usi sint in sanandis enuntiatis ita deformatis. Atque inquirenti mihi in eam rem haud pauca exempla oblata sunt, ubi voces mutilae in Veronensi traditae aut prorsus omittuntur, quae res ad informandum animo Victorianae recensionis archetypon summi

momenti est, aut mutatae ad arbitrium sententiae parum probe accommodantur:

3, 51, 10: „mediaque urbe ||||entiâ agmine in Aventinum pergunt“ Ver.; „mediaque urbe agmine“ Vict. Wodrigius parum probabiliter scribi jubet „silenti“, Mommsenus „ingenti“ cf. Weissenb. in annot. ed. Weidm. Melius fortasse „continenti“ velut 2, 50, 7.

4, 8, 2: „ius publicorum ius privatorumque“ Ver.; — „publicorum ius privatorumque“ Vict. Mommsenus conjecit „eius publicorum jus etc.“

4, 56, 13: „interim patricii soluti legum magistratumque via|||| verecundia |||||||potestatemque tribuniciam agerent“ Ver.; „interim patricii soluti legum magistratumque verecundia per se quoque tribuniciam potestatem agerent“ Vict. cf. Madvig Em. Liv. pag. 127; Mommsen, Weissb. ad h. l.

5, 4, 7: „anitu aecum censes“ Ver.; „an tu aecum censes“ Vict.; Scribendum fortasse ex Veronensis vestigiis „an id tu aecum censes“.

5, 23, 12: „impetrataque pax magis verc||||||| diutino etc.“ Ver.; impetrataque pax magis ut fessa tam diutino cf. Wodrig ad h. l. *(magis verentibus ut diutino etc.)*; Weissb. in annot. ed. Weidm.

5, 53, 1: „at enim apparet quidem |C||||||nia nec ullis piaculis expiari posse, sed res ipsa etc.“ Ver.; „———— sed res ipsa“ Vict.; cf. Wodrig. ad h. l.; Madvig Praef. ed. alt. XXXII.

4, 22, 4: „ab adversa parte ||||ↃER maxime neglecta“ Ver.; „ab adversa parte urbis maxime neglecta“ Vict.: cf. Wodrig. ad. h. l., qui scribi jussit „desuper“, quod probari non posse Weissenbornius docet. Melius fortasse legetur, „semper“.

4, 23, 2: „in tam discrepantis editione“ Ver.; „in tam discrepanti editione“ Vict.; Ad Veronensem locus ita conformandus videtur „in tam discrepantis rei editione“.

5, 39, 12: „et quod iniquiore animo de plebe multitudo ferret“ Ver.; „et quo id aequiore animo de plebe multitudo ferret“ Vict., qui objectum verbi, quod est „ferret“

em exitus perfectis „coiere“, „creavere“,
offenderent (*etsi injuria cf.* Wölfflin: *Liv.*
gebrauch p. 7), in verba tradita grass
datur etiam Veronensis forma in „ere“
similibus locis haec saepius (4, 25, 14,
4, 25, 1; 4, 30, 15, 2, 55, 11) illa („
„pervicerunt tribuni“) in initio enunti
altera parte ex exemplis, quae priore
verisimile est, duobus aliis locis 3, 20,
lent“ Vict.] atque 6, 6, 9 [„posset“ V
sicut 5, 39, 12 oratione obliqua con
fecti conjunctivum ad antecedentes
„posset“, „esset“, „abrogaretur“
junctivum ad insequentia praesentia
a Victoriano vel Nicomachis conform

Veniamus ad 4, 17, 11, de quo
dum est. Praebent libri Victoriani
exscribam „cum potestas major
hostes ex agro Romano trans Anien
inter Fidenas atque Anienem capu
ante etc.“, in quorum conformatione
subjecta dure variata enuntiatorum
movere“ et „collesque — castr
est in Veronensi „cum potestas —
— ceperant referentes castra
Weissenbornius aliam lectionem
sententiarum nexui atque enuntiat
ita comparata esse debet, ut
verbum praedicati vice fungens
stituendis Veronensis verbis
num alibi quoque similis libro
nensis lacuna in recensione
amus, qua via ac ratione V
in sanandis enuntiatis ita
in eam rem haud pauca ex
in Veronensi tradita
formandum animo

, ..ajus confirmandae gratia affero similia huic duo ..ia a suprascripta correctura profecta 3, 65, 6 pro „continuere“ et 5, 44, 8 „ceperet“ pro „ce-..tum autem erat in vetustiore codice: „continue-:ut“ „viderûnt“ *(cf. Wölflin l. d. pag.* 6*)*.

..r duo loci in uno capite 3, 68, 3 et 7, unus, ubi libris recensionis Victorianae futurum tempus, a ..iperfectum exhibetur, alter, ubi Veronensis futu-.. omnes praesens tempus tuentur. Caput igitur, in ..iscrepantias inveni, pars est Quinctii consulis orationis, ..t post populationem agri Romani a. 446 a. Chr. n. ..t incitandam plebem, ut arma caperet injuriasque ab acceptas ulcisceretur. In cuius orationis media fere ..onit, quot quantaque mala Romani ab hostibus passi . agros ferro ignique vastarint, praedam abegerint, ..a incenderint. Dicit deinde ad refutanda ea, quae ..int ab eis, qui reipublicae, non singulorum mala : „at enim communis res . . . . . . restituent?, ubi .., quod est „jam unicuique ex agris sua damna . . . . scribit „nuntiabuntur“, cum Veronensis habeat ..tur“. Continet hoc enuntiatum responsum ad quae-..rivatae res in quo statu sunt“? datum, quare jam ..erba „in quo statu sunt“? nuntium damnorum accepto-..tum esse ideoque praeterito tempore referri consenta-..t. Jam vero sententia „quid est tandem domi, unde ..atis“? cum antecedenti quaestione collata fidem affert, ..cire, quanto omnium rerum detrimento affecti sint, ..quam quod dubium esse non potest, quin post hostium .. Romano profectionem *(cf. c.* 66, 6*)* et ante Quincti ..m permulti nuntii Romam venerint. Accedit, quod ..ne pertinacia plebis major vehementiusque ideo Quinctii ..rium videtur, si probata Veronensis scriptura cognita per nuntios omnia esse mala, cives tamen obstinatos circumsedisse dictum est. Caûsam denique interpolandi antecedentis paragraphi „ex muris visite etc.“ falso in-

---

..dvigius in Praef. ed. alt. pag. XXVI proposuit „videre ita“; Ber. des berl. phil. Ver. 1873 pag. 96.

tellecta Victoriano vel Nicomachis praebuerunt, cum temporum praeteriti, praesentis, futuri nexum optime cum. rerum ordine congruentem prorsus neglegerent:

1) jam unicuique — nuntiabantur;

2) quid est tandem domi, unde ea expleatis?

3) tribuni vobis amissa reddent ac restituent? —

Idem temporum nexus, quippe qui de § 7 omnem dubitationem tollat, me movet, ut hujus loci discrepantiam cum antecedentis conjungam. Legitur in Veronensi „haerete adfixi contionibus et in foro vivite: sequetur vos necessitas militandi, quam fugitis"; „sequitur" in Vict. — Mommsenus nulla addita causa, cur praetulerit, locum inter eos collocat, quorum in Veronensi scriptura Victorianae recensionis conformationi anteponenda sit, atque Madvigius in editione Livii altera et Weissenbornius in editione Weidmanniana eum secuti sunt. Quos omnes, si non verbis expressisse, certe sensisse veram rationem non negaverim. Habemus enim in paragrapho septima bis similem sententiarum ordinem, ut, cum componantur tempus praeteritum et praesens, inde conclusio de tempore futuro fiat. Itaque maxime offensioni est, si in tertio membro prioris sententiarum complexus non, sicut in posteriore *(erit, scandet, persequetur)*, tempus futurum usurpatum est. De genere autem interpolationis conferantur, quae ad 4, 24, 6 *(pag. 37 seqq.)* exponam.

Breviter absolvendi sunt loci, uni ab una recensione perfectum historicum ab altera praesens exhibetur, quia de majore eorum parte jam Mommsenus vel Wodrigius egerunt. Si igitur hic 3, 38, 4 *[„addidit" Ver; „addit" Vict.]*[1]*)*; 3, 63, 4 *[„recepit" Ver.; „recipit" Vict.]*; 4, 22, 2 *[„subiit" Ver.; „subit" Vict.]*; Veronensis lectionem pro meliore habet, disputationi eius me assentiri profiteor. Ad locum 4, 22, 2 addiderim, in hoc quoque capite de narrationis progressu agi, qui perfectis „fuere", „concessere", „subiit", „fudit", „compulit", „circumdedit", „instituit", „erecta est", „ostendit" exprimatur. Id

[1]) dubitari potest, cum praeter Med. et Paris. reliqui recensionis Victorianae libri Veron. adstipulenter, num Med. et Paris. scriptura primitiva fuerit. Probabilius enim est, eos libros propter litteras „di" bis scriptas a vero aberrasse.

tantum inter 3, 38, 4 et 3, 63, 4 atque hunc locum interest, quod illis narratio paullatim promovetur interque graviores eius particulas aliae minoris momenti interponuntur, hoc loco in priore parte plura narrationis momenta deinceps sequuntur, cum in posteriore res accessoriae imperfecto tempore velut inter „circumdedit" et „instituit" „capi poterat" et „sufficiebat", inter „instituit" et „erecta est", „avertebat" insertae sint.

Aliorum quattuor locorum (3, 44, 6; 3, 44, 7; 4, 23, 3; 4, 34, 5) quamquam Mommsenus mentionem fecit atque Veronensis scripturam tuendam duxit, tamen ad confirmandos eos pauca adicienda sunt.

Etenim si 4, 34, 5 *[Ver.: „abdicavit"; Vict.: „abdicat"]* propter antecedens verbum „reduxit" perfectum „abdicavit" vulgatae adhuc formae „abdicat" praetulit, ea argumentatio vix sufficere potest, cum diversa tempora in enuntiatis iuxta positis saepissime usurpata sint *(cf. Kühnast l. d. pag.* 215*; cuius exempla ex collectaneis meis augere mihi liceat* 2, 26, 6*;* 2, 46, 7*;* 3, 7, 6*;* 3, 8, 11*;* 3, 26, 4*;* 3, 27, 2*;* 3, 29, 7*;* 3, 63, 1*;* 3, 63, 4*;* 4, 19, 4*;* 4, 21, 9/10*;* 4, 31, 9*;* 4, 57, 8*;* 5, 21, 10*)*. Majoris momenti ea res est, quod iterum atque saepius ejusmodi locis, ubi descriptio a narratione excipitur, in illa praesens vel infinitivus historicus vel imperfectum, in hac perfectum [1]) legitur *(cf.* 3, 48, 7—49, 8*;* 2, 45, 13—16*;* 7, 8, 1—4*;* 10, 33, 1—5*)*. Itaque loco, de quo agimus, cum in priore capitis parte usque ad paragraphum quartam expugnatio urbis tamquam sub oculos legentibus subiciatur, deinde in proximis paragraphis narratio rerum post expugnatam urbem gestarum incipiat, in qua perfecta „reduxit" et „rettulere" habemus, Veronensis lectio non certa illa quidem est, verum magis placet quam Victorianae recensionis „abdicat".

Duo loci 3, 44, 6 *[Ver.: „inicit"; Vict.: „injecit"]* et 3, 44, 7 *[Ver.: „celebratum"; Vict.: „celebrabatur"]* quos Mommsenus commemoravit, continentur Marci Claudii, cui potiundae Verginiae negotium ab Appio Claudio decemviro datum erat, facinoris descriptione. Quae divisa est in duas partes, qua-

[1]) quae res conferenda est cum Wodrigii observatione ad 3, 38, 4 et 3, 63, 4, qui in ennuntiatis, quae ad promovendam narrationem pertineant vel quae a Livio de suo additae sint, perfectum usitatum esse demonstravit.

rum altera ad res in foro gestas, altera ad ea, quae coram ipso Appio aguntur, pertinet, atque evidenter incisio perfecto „perventum est“ *(§. 9, cf. nota in antec. pagina)* significatur. In priore igitur parte, ubi complura praesentia historica *(fit, conciliat, ait)* inveniuntur et alacris atque agitata descriptio efficit, ut res ante legentium oculos denuo fieri videantur, rectissime Mommsenus praestare censuit formas „inicit“ et „celebratur“. Quod ad verbum „celebratur“ attinet, equidem valde suspicor, Veronensis mendam „celebratum“, cum etiam in recensionis Victorianae archetypo compareret, movisse correctores illos, ut in „celebrabatur“ haud feliciter mutarent, Leydensis contra scripturam „celebratur“ errore ex forma „celebrabatur“ esse ortam, sicut 3, 35, 10 Mediceus aeque ac Veronensis pro „improbabant“ exhibet „improbant“.

Quartus locus est 4, 23, 3 *[„placuit“ Ver.; „placet et“ Vict.]* [1]), quo jam Muretus „placet“ omissa coniunctione „et“ scribi iussit, Mommsenus nulla causa allata Veronensis lectionem „placuit“ meliorem esse existimat. Quare videndum est, num ratio, cur perfectum tempus probemus, hoc loco appareat, praesertim cum compluribus praesentis formis, quae antecedunt *(invenio, edunt, profitentur. dissimulat)* facile fieri potuerit, ut Nicomachi vel Victorianus ad interpolationem laberentur *(cf. ad 4, 24, 6 pag. 37 seqq.)*. Ac revera praesentia illa ad aliam rem spectant, atque perfectum, quod est „placuit“. Nam cum in antecedentibus paragraphis Livius ea referat, quae in investigandis consulum a. 434 nominibus apud scriptores invenerit et, quod quilibet eadem legere possit, tempore praesenti utatur, enuntiatis „Licinio — placuit“ atque „sed inter — positum“ judicium suum ostendit ideoque aliud tempus in eis usurpari haud iniquum videtur *(cf. Wodrig. ad 3, 63, 4; praeterea 7, 9, 4—6; 9, 46, 2—4)*.

Quibus septem locis, quos Mommsenus atque Wodrigius attigerunt, tres alios adjungo:

Discrepantiae exemplum 5, 7, 2 *[Ver.: „conicit“; Vict.: „conjecit“]* tale est, ut vel maxime quis ad scripturam recensionis Victorianae inclinare possit. Nam praesens, quod Vero-

[1]) in qua vocabulum „et“ non ab ipsis Nic. vel Vict. profectum, sed in exemplari illo derivato natum esse verisimile est.

nensis praebet, solum est inter perfecta, quae in tota priore capitis parte usque ad paragraphum quintam leguntur. Qui rarior sermonis Liviani usus, qui uno alterove tamen exemplo (*3, 29, 7 „pugnat“; 4, 18, 3 „procedunt“*), comprobatur, haud dubie ad interpolandum Nicomachos vel Victorianum compulit (*cf. ad* 4, 17, 9 *pag.* 8). Tempora vero non temere variata esse, locus, de quo agimus, optime docet cum nonnullis aliis comparatus. Perfectum enim, si cum praesenti tempore in eadem periodo coniunctum est, in eo membro ponitur, in quo gravior actio inest, cum verbo praesentis forma usurpato eae res exprimantur, quae illi praecedere debeant quaeque ad perficiendam illam valeant (*cf.* 2, 26, 6 *„Ariciam infesto agmine itur, nec procul inde cum Auruncis signa collata proelioque uno debellatum est“*; 2, 46, 7; 3, 63, 4; 4, 57, 8).

Si 6, 1, 9 praesens tempus „consulunt“ a Veronensi traditum [*Victoriana „consuluere“*] recipiendum iudico, id maxime urgere velim, quod nulla causa existat, quae rudem codicis Veronensis librarium in errorem inducere potuerit. Immo vero cum quattuor locis, ubi in tertia pluralis persona temporis perfecti recensiones discrepant, Veronensis formam in „ere“ terminatam retineat (*cf.* 5, 5, 5 *pag.* 8; 4, 7, 8 *pag.* 9; 5, 33, 5; 3, 57, 9 *vide infra pag.* 26 *seq.*), hoc loco eam mutatam esse vix credendum est. Ab altera parte facile fieri potuit, ut Victorianus vel Nicomachi praesens „consulunt“ ad perfecta, quae mox leguntur „iusserunt“, „edita“, „suppressa“ (*scil. sunt*), „agitarunt“, „fecerunt“ leviter conformarent. Praesentis vero forma in initio capitis quasi fundamentum narrationis collocata minime a Livii consuetudine abhorret, qui saepius ea conformatione utitur (*cf.* 3, 15, 1 *„Accipiunt civitatem etc.“* 4, 7, 1; 4, 9, 1; 4, 22, 1; 5, 38, 1 *alia*).

Vix operae pretium est de 5, 40, 5 [*Veron.: „petit“; Vict.: „petiit“*] plura verba facere, quoniam saepissime in libris manuscriptis „petit“ et „petiit“ confunduntur (*cf. Drakenborch ad* 37, 45, 2). Antecedentibus autem exemplis (3, 38, 4; 3, 63, 4; 4, 22, 2; 3, 44, 6; 3, 44, 7; 4, 23, 3; 4, 34, 5; 5, 7, 2; 6, 1, 9) nixus Veronensis auctoritatem sequor[1]).

[1]) missum facio locum 5, 31, 8 [*Vict.: „creatur“; Ver.: „creatus“*] quippe cujus scriptura in Ver. non certa sit.

Restat ut in exponendis temporum discrepantiis ad finem perveniam unus locus jam a Wodrigio tractatus 5, 3, 5 *[Ver.: „viderentur"; Vict.: rentur"]*, ubi vitium communis fontis a Veronensi propagatum, a Victoriano vel Nicomachis non recte emendatum est. Agitur de littera „n" temere addita, quod vitium ad numerum maxime corrumpendum pertinens propter incertam eius litterae pronuntiationem ubique in manuscriptis comparet *(cf. Mommsen l. d. pag.* 175*; Brambach: Orthographie der lat. Sprache pag.* 263—272*)*. Cuius generis saepius apertae mendae in Veronensi statuendae sunt, quas in recensione Victoriana correctas *(pag.* 5 *seq.)* enumeravi, sed etiam post recensionem Victorianam alias denuo irrepsisse docet optimorum codicum consensus 3, 44, 9; 4, 14, 5; 4, 57, *10.* Eo magis necessarium est, in recensionum differentiis ita comparatis, ut Veronensis lectio non plane falsa sit, diligentius inquirere, num ea una alterave de causa Victorianae scripturae praestet. Priusquam vero ad eos locos accedamus, in quibus utriusque recensionis lectio per se ipsa nullam offensionem praebet ideoque artis criticae ea ratio, de qua supra *(pag.* 7*)* dixi, factitanda est, respicientes Wodrigii exemplum 5, 3, 5 priore loco eas ponamus discrepantias, ubi Victorianae correctura Veronensis mendae non respondeat. Wodrigius igitur 5, 3, 5, cum ipsum vitium Victorianum vel Nicomachos intulisse demonstraret, dempta de voce, quae tradita in Veronensi est „viderentur" una littera „n" lectionem probam sensuique loci optime convenientem restituit. Eodem modo Mommsenus 4, 58, 4 levi remedio illo allato pro vitio „restari nuntiabantur" quod in recensione Victoriana in „restare nuntiabantur" abiit, „restari nuntiabatur" conjecit, atque Weissenbornius 5, 53, 2 pro „transmigrarentur", quod vitiosum est „transmigraretur" cunctanter proposuit *[Vict.: transmigragremus]*. Ejecerunt autem posteriore loco correctores recensionis Victorianae passivam formam, ut enuntiatum „ut Veios transmigraremus" antecedentis paragraphi constructioni activae „omnia Veios migrare" accommodarent *(cf. ad* 4, 24, 6 *pag.* 37 *seqq.)*, cum Veronensis scriptura perbene in eiusdem enuntiationis conformationem „hanc eandem rem actam esse" quadret.

Denique loco 6, 4, 8 lectio „relinquerent" pro Veronensis constructione passiva „relinqueretur", quam multo ante detectum

codicem Veronensem Faber maluit *(cf. Wodrig ad h. l.)*, inde, nisi omnia fallunt, explicanda est, quod in archetypo recensionis Victorianae *(Ver. gemello cf. pag.* 3*)* forma leviter a Veronensi discrepans „relinquerentur" addita prave littera „n" exarata erat. Quamquam de quattuor locis, quorum postremo mentionem feci, singulis iam homines docti exposuerunt, tamen, cum eos conferrem atque corrigendi viam Victoriani et Nicomachorum demonstrarem, emendandi rationem a Veronensi profectae confirmasse putavi.

Semel praeterea 4, 11, 1 Veronensis passivam conformationem *[„consules creantur M. Fabius Bibulanus Postumius (prave pro „Postumus") M. Aebutius Cornicen"]*, Victoriana recensio activam *[„consules creant M. Fabium Vibulanum Postumum Aebutium Cornicinem"]* tuetur atque Mommsenus *(pag.* 183*)* evidentissimam illius interpolationem suspicatus est. Sed Wodrigius ex usu Liviano passivam enuntiati constructionem praeferendam esse docuit *(cf. Weissb. in ed. Weidm. ad h. l.)*.

Jam vero de eis locis disputandum est, in quibus littera „n" sive scripta sive omissa utraque lectio cum vulgatis grammaticae regulis convenit, discrimen, utram sequamur, in concordantiae legibus a Livio observatis vertitur. Duobus locis 5, 27, 11 *[„fides Romana, iustitia imperatoris in foro, in curia celebratur" Ver.; „celebrantur" Vict.; cf. praeter Kühnastium pag.* 67 *etiam* 1, 29, 2*;* 2, 58, 6*;* 31, 18, 3*]* et 5, 41, 1 *[„turba seniorum domos regressi . . . exspectabant" Ver.; regressa . . . . expectabat Vict.; cf. praeter Weissenbornii exemplum* 26, 35, 7 *in ed. Weidm. allatum etiam* 2, 14, 8*;* 2, 26,3*;* 2, 59, 11*;* 27, 1, 12*;* 27, 51, 1*]* jam Mommsenus Veronensis scripturam commendavit, cui prorsus assentior, quia Veronensis elegantiorem et subtilioribus regulis nixam exhibet conformationem, pro qua correctores illi vulgatam substituerunt *(cf. ad* 4, 17, 9 *pag.* 8 *seq.)*. Venio ad 4, 10, 10 „quinque consulatus eodem tenore gesti vitaque omnis consulariter acta verendum paene ipsum magis quam honorem faciebat" Ver.; „faciebant" Vict., cuius loci neque a Mommseno neque a Wodrigio ullam mentionem illatam esse maxime miratus sum. Negandum igitur non est, usitatam secundum concordantiae leges verbi formam in recensione Victoriana inveniri, cum „faciebat" rariorem

loquendi usum sequatur. Livium vero etsi raro tamen uno alterove loco certa causa motum admisisse, ut cum duobus substantivis, quorum prius in plurali numero collocatum esset, verbi singularis numerus conjungeretur, Kühnastius *(l. d. pag. 67)* docuit, si subjectum plurali usurpatum minoris esset momenti, duosque laudavit locos 30, 33, 11; 33, 18, 17 *(cf. praeterea* 37, 9, 3 *et* 40, 11, 1*)*. Idem hoc loco statuendum est, cum alterum *(posterius)* enuntiatum „vitaque omnis consulariter acta“ prius „quinque consulatus“ includat. Causa vero, cur mutarint Victorianus vel Nicomachi, eadem fuit, quae 5, 27, 11 et 5, 41, 1, quod rariorem sermonis usum improbabant, utpote qui elegantiam primitivae scripturae minime perspicerent.

Difficilior est disceptatio de eis verborum formis, quorum conformatio ex synesis usu pendet 3, 29, 8; 4, 17, 5; 4, 54, 5; 5, 50, 7; 4, 58, 12. Agendum igitur est, ut cum grammaticis loquar, de collectivis „populus“; „civitas“; „plebs“, in quibus considerandis ab universa synesis ratione proficiscendum videtur. Est constructionis, quae synesis vocatur, ut in substantivo collectivo singulae eius partes non tamquam una notione comprehensae intellegantur, sed pro se quaeque et scribentis et legentis animo obversentur. Sed cum ab altera parte fieri possit, ut notionis particulae singulae in sensum non quadrent, verum sola earum comprehensio sententiarum nexui accommodata sit, consentaneum est, constructionem, de qua agimus, non ad arbitrium[1]) usurpari, immo vero, quoniam ad conformandum praedicatum pertinet, hoc maxime momentum facere, utrum aut hoc a scriptoribus probetur aut illud. Redeunti jam ad tria substantiva „populus“, „civitas“, „plebs“, ad confirmanda ea, quae in universum dixi, afferre mihi liceat exempla, in quibus constructio illa reperitur.

Ac primum quidem post vocem quae est „populus“ in enuntiatione secundaria verbum „jubere“ *(cf.* 6, 21, 5; 23, 30, 14; 38, 48, 9;*)* atque conjuncta verba „jubere et velle“ *(cf.* 1, 41, 1;

---

[1]) ita in quibusdam *(velut „populus“, „civitas“)* vocibus *(apud Cic. et Caes. fere ubique)* synesis non admittitur, nisi in enuntiatione secundaria, cum substantivum collectivum in primaria antecedat; cf. Badstübner: Progr. des Fried. Wilh. Gymnas. in Berlin 1873, pag. 7 seqq. Kühnast l. d. pag. 62 nota 38.

38, 46, 13) in plurali numero posita sunt, quod in ferendo suffragio etiam singuli homines vel centuriae vel tribus possunt cogitari. Praeterea notandum est verbum „absolvere“ (1, 36, 12) plurali usurpatum ratione habita singulorum absolventium; „mirari“ (1, 41, 1) participii forma ad genetivum, qui est „populi“, in plurali numero additum propter singulos mirantes: „conjungere“ (4, 31, 7), cum ex verbis „fidenatium populo“ supplendum sit „fidenates“ *(cf. Kühner l. d. II, 17 summa);* „censere“ (39, 51, 9) propter singulorum de Hannibalis morte sententias; „decernere“ (38, 48, 9) eadem de causa, qua jubere *(vid. supra).* Actio vero, quae verbo „velle“ continetur, tum demum gravioris est momenti, si post initum suffragium universi populi voluntas tamquam unius personae cognita est. Quare plerumque singularis numerus verbi post antecedentem vocem „populus“ legitur *(cf.* 4, 51, 2; 6, 39, 9; 32, 7, 11; 36, 39, 3; 39, 39, 4, *ubi in quattuor exemplis propter creberrimam collectivam substantivi constructionem libri deteriores pluralem habent;),* quamquam non infitias eo, etiam pluralem prorsus recte sese habere, si singulorum voluntas intellegi possit *(cf.* 7, 6, 3; 30, 40, 10, *quo loco notio verbi „velle“ proxime ad „jubere et velle“ accedit).* Quod igitur ad 4, 54, 5 *[„si ne in quaestoriis quidem comitiis, quae sola promiscua plebei patribusque reliquisset senatus, satis animi populo esset ad id, quod tam diu vellet et per leges liceret“ Ver.; „vellent“ Vict.]* attinet, concedo ego quidem, de lato suffragio non agi, tamen apte ad augendum grave tribunorum opprobrium pertinere arbitror, si singulari numero significetur, desiderium occupandae quaesturae tacito omnium plebejorum consensu pro certa fere voluntatis declaratione habendum esse.

E contrario pluralis numerus, quem 4, 17, 5 *[„propius est obstringi fidenatium populum, ne respicere spem ullam ab Romanis possent“ Ver.; posset Vict.;]* Veronensis exhibet, haud dubie ferendus est, quod ex enuntiato „fidenatium populum“ in enuntiatione secundaria subjectum „Fidenates“ auditur *(cf.* 4, 31, 7; *vide supra).*

Transeamus jam ad vocem „civitas“, pro qua, si eam in enuntiatione secundaria pluralis numerus sequitur, facile ipsos cives substitui exempla docent: „4, 32, 2“ „animos suspensos

gererent"; 21, 7, 2 „oriundi dicuntur"; 25, 22, 11 „commovebantur" 26, 18, 8 „circumspectant"; 43, 7, 7 „praestitissent". Loco autem 5, 50, 7 „antea in eo religio civitatis apparuerat, quod, cum in publico deesset aurum, ex quo summa pactae mercedis Gallis confieret, a matronis collatum acceperat" Ver.; „acceperant" Vict.; substantivum „civitas" vix ita sumendum est, ut singuli cives in verbo, quod est „accipere", cogitentur, praesertim cum matronae *(civium pars)* universae civitati oppositae sint, sed, quod hoc loco „civitas" notioni „respublica" proxima est, singularem numerum *(Ver.)* praetulerim.

Denique omnibus locis, qui post vocabulum „plebs", quod ad insequentem aliquam sententiam ut subjectum supplendum est, pluralem numerum in praedicato praebent, singulos de plebe homines intellegi licet velut 1, 17, 11 „sciscerent juberentque"; 2, 18, 8 „intentiores essent"; 2, 35, 8 „arma caperent"; 4, 5, 5 „misceri possunt"; 4, 60, 1 „effectum esse fatentibus"; 6, 20, 1 „utique postquam viderunt" 6, 39, 10 „aestimaturos spem incidant"; alibi [1]). Gravissimus ad demonstrandam sententiam meam est locus 4, 16, 6, cum in eodem verbo subjectum „plebs" et tamquam una notio et collective sumptum sit „plebs quamquam agitata . . . . . tres tribunos consulari potestate creavit; . . . . . Lucium Julium tertium creant". Quod optimo jure factum esse, statim perspicitur, si tenemus, priore loco dictum esse „creavit" lati jam ab omnibus suffragii ideoque certae populi voluntatis ratione habita, posteriore loco verbum „quod est, creare", ita usurpatum esse, ut ipsa creandi actio, in qua singulae centuriae singulique homines ante oculos versentur, intellegenda sit. Quae cum ita sint, videamus, utrum 3, 29, 8 *[„plebes vicit, ut quintum eosdem tribunos crearet" Ver.; „crearent" Vict.]* magis universa plebs an singuli homines in sententiam hujus loci quadrent. Et profecto nemo negabit, cum ex perfecto historico „vicit" cognoscatur, creatis jam tribunis de haud ambigua voluntatis decla-

---

[1]) de scriptura locorum 3, 38, 10 „haec plebes fremunt" *(vulgo)* et 24, 2, 8 „ut plebes ab optimatibus dissentirent", ubi plur. praedicati numerus in eodem enuntiato invenitur, in optimorum librorum discrepantia dubitari potest.

ratione universae plebis agi, singularem numerum a Veronens traditum utique plurali praestare *(cf.* 2, 5, 2; 2, 9, 5*)*.

Ab altera parte loco 4, 58, 12 *[„eam procul haberi atque ablegari, ne domi per otium memor libertatis coloniarumque aut agri publici aut suffragii libere ferendi consilia agitent“ Ver.; „agitet“ Vict.]* pluralis numerus in codice Veronensi positus optime sententiae accommodatus est, quod „consilia agitare“ de singulis hominibus multo melius quam de tota plebeiorum mole dicitur.

Reliqui sunt ex locorum numero, qui sola littera „n“ in duabus recensionibus inter se differunt, duo et ipsi dissimiles et aliter atque ei, qui antecedunt, comparati.

Loco, qui est 3, 44, 3 *[„perinde uxor instituta fuerat liberique instituebantur. desponderant filiam etc.“ Ver.; „desponderat“ Vict.;]* si unam recensionem Victorianam haberemus, nemo de lectione „desponderat“ dubitaret, quod propter patriam potestatem Verginio ad suum ipsius arbitrium filiam despondere licuit *(cf. L. Lange, Röm. Staatsaltert. I. pag.* 128 *seqq.)*. Verum cum aequum videtur, patrem, priusquam sponsalia fierent, consilium suum cum uxore communicasse, tum Romae servatum eum morem esse documento est narratio de P. Africani filia *(cf.* 38, 57, 7*)*. Jam si hoc loco totum narrandi genus et maxime antecedens enuntiatum „perinde — instituebantur“ respicimus, intellegitur, de industria Livium rem domesticam adumbrandis Verginii moribus addidisse, quo atrocius App. Claudii facinus appareret. Cui contextui mea quidem opinione pluralis numerus verbi „despondere“ vel maxime accommodatus est, quo probato, sicut proxima enuntiatione „perinde — instituebantur“ ratio educandi egregie inter parentes indicatur conveniens, ita verbis „desponderant filiam etc.“ concordi iudicio filia desponsa esse narratur.

Alter locus 5, 50, 2 *[Ver.: „quod (quoad) ea hostis possedissent“; Vict.: „quoad ea hostis possedisset“]* gravis momenti est ad vindicandam Livio nominativi pluralis in „is“ terminatam formam vocis, quae est „hostis“. Kühnastius *(l. d. pag.* 27*)* unum affert exemplum 8, 23, 10 haud sine cunctatione quadam, quamquam optimi codices nominativum pluralis „hostis“ praebent, atque haud dubie Mommseni sententiam *(cf. pag.* 167*)*

secutus ne in appendice quidem, in quo de Veronensi nonnulla adicit, formae a Ver. servatae mentionem facit. Itaque operam dedi, ut alia exempla investigarem, atque summo gaudio affectus sum, cum tertium locum invenirem, ubi „hostis“ legitur: 28, 22, 10 *(cf. Weissenb. ad h. l.)*. Jam, cum ea forma satis auctoritatis habeat, cum Veronensi scribendum erit „quoad ea hostis possedissent“.

Sequuntur tres loci, quorum duobus altera recensio participium conjunctum, altera tempus perfectum, uno Veronensis verbum finitum, Victoriana verbum infinitum tuetur.

Praemittamus ex consuetudine nostra locum 3, 7, 8 *[„inopsque senatus auxilii humani ad Deos populum ac vota vertit, jussos cum conjugibus ac liberis supplicatum ire pacemque exposcere deum“ Veron.; ... jussi .... Victoriana;]* de quo jam Zumptius et Mommsenus atque Wodrigius verba fecerunt. Mommsenus igitur miram interpolationem statuendam esse duxit *(pag.* 183*)*, Zumptius[1]) et Wodrigius, Veronensis lectionem ut defenderent, operam dederunt. Ratio, cur Wodrigius Veronensis scripturam *(„jussos“)* veram esse existimet, ea est, quod, ut ipsius verba afferam „haec duo enuntiata interposito participio in unum coartata videntur prorsus ex more Livii esse, qui, sententias comprehensione devinciendi ut qui maxime studiosus, non ita sermonem incidere soleret, qualem libri Nicomachiani exhibent“. Sed ea argumentatio sola minime ad tollendam loci difficultatem sufficere videtur, cum saepius asperum illud atque jejunum narrandi genus vetustissimorum annalium *(cf. Nitsch: Die röm. Annalistik pag.* 156 *seqq.)* etiam ad Livium permanarit, quod haud ignorasse Wodrigium declarat nota pag. 11 ad 3, 19, 6. Eo enim mea quidem sententia etiam paragraphi 6, 7, 8, quibus locus, de quo agimus, continetur, et propter formam et propter res ibi narratas pertinent; itaque quaeramus necesse est, num alia causa, cur Veronensis scripturam defendamus, existat. Ac revera adest, si Mommseni interpretationem hujus loci *(pag.* 183*)* paullo accuratius consideramus. Qui cum enuntiatum „jussos —

---

[1]) Programm des Friedrich-Wilhelm Gymnasiums zu Berlin 1859 pag. 23 seq.

exposcere“ cum insequentibus verbis in Veronensi aperte deformatis „publicevocat“ conjungeret, rectissime censuit, Livium tam inani repetitione uti non potuisse, ut cives tam juberentur supplicatum ire quam ad id publice evocarentur. Sed fugit eum, eandem tautologiam *(cf. Zumpt. l. d. pag.* 23 *seq.)* in Livii verbis esse, si legeretur „inopsque senatus — ad deos vertit“, deinde „jussi — exposcere“. Quae difficultas prorsus evanescit, si Veronensis lectionem recipimus atque a verbis quae sunt „ad id etc.“ novum enuntiatum incipere judicamus:

„inopsque senatus auxilii humani ad deos populum ac vota vertit iussos cum conjugibus ac liberis supplicatum ire pacemque exposcere deum. ad id, quod sua quemque mala cogebant auctoritate publica evocati omnia delubra implent“.

Contrarium, quod ad verborum formas attinet, exemplum est 4, 7, 2, ubi in recensione Victoriana scribitur „et imperio et insignibus consularibus usos“, quo facto ea verba cum antecedenti enuntiatione conjunguntur et pendent ex verbo „dicant“, cum Veronensis exhibeat „usi sunt“, ut ea verba proprium enuntiatum efficiant. Quanquam concedendum est, Victorianae lectionem grammatice prorsus rectam esse, tamen tres maxime rationes me inducunt, ut Veronensis scripturam magis genuinam speciem prae se ferre arbitrer. Primum quidem, si totius loci conformationem respicimus, in antecedens enuntiatum discrepans de origine novi magistratus *(tribunorum militum)* narratio parenthesis modo inserta est, in qua jus illius expresse commemorari haud necessarium est, deinde par esse videtur, Livium jus tribunorum militum potius proprio enuntiato quam quasi rem parvi momenti obiter referre, denique insequens sententia „non tamen pro firmato etc.“ multo melius ipsi narrationi, ad quam redit scriptor verbis „et imperio et insignibus consularibus usi sunt“ quam parenthesi illi adiungitur. In universum id quoque haud neglegendum est, interpolatorem facillime ad Victoriani scripturam aberrare potuisse, difficilius incuriosum librarium ad alteram conformationem.

Loco, qui est 4, 26, 12 libri Victoriani tradunt „dilectus simul edicitur et iustitium, neque aliud tota urbe agi quam bellum apparari. cognitio vacantium militiae munere post bellum

differtur; ita dubii quoque inclinant ad nomina danda", Veronensis ab eis discedit, qui praebet pro „differtur" infinitivum „differri". Quamquam nemo infitias ibit, utramque lectionem ex grammaticae regulis recte sese habere, Veronensis scriptura magis commendatur ea re, quod, si eam sequimur, graviora narrationis momenta in enuntiatis „dilectus simul edicitur et justitium" et „ita dubii quoque inclinant ad nomina danda" usurpata pari verbi finiti forma leguntur, atque tres infinitivi, qui ad res inter edictum dilectum et habitum gestas spectant, et ipsi aequalem conformationem habent. Minus autem concinua sententiarum responsio „dilectus — justitium" atque „cognitio — differtur", quam Weissenbornius probat *(cf. annot. in ed. Weid.)* videtur esse.

Jam ad extremum breviter exponere mihi liceat de tertia pluralis perfecti temporis persona, in qua aut in „ere" aut in „erunt" conformanda [1]) quattuor locis recensiones inter se discrepant:

5, 5, 8: „vallum fossamque . . . duxere" Veron.; duxerunt Vict.;
4, 7, 8: „vicere patres" Ver.; vicerunt Vict.;
5, 33, 5: „ducentis quippe annis ante . . . . . in Italiam Gallios transcendere" Ver.; „Galli transcenderunt" Vict.;
3, 57, 9: „Horatio Sabini, Valerio Aequi evenere" Ver.; evenerunt Vict.

Atque cum 4, 7, 8 et 5, 5, 5 *(cf. pag.* 9/10 *et* 8*)* jam supra Veronensis formam defenderim, ad tertium locum *(*5, 33, 5*)* transeamus, qui ad corrigendi rationem Victoriani intelligendam summi momenti est. Simpliciter enim Victoriani vel Nicomachorum mutatio inde declarari potest, quod iam in archetypo suo eandem corruptelam, quae Veronensi insidet, „Gallios" vel „Galli^os^" invenerunt atque, cum originem vitii a falso intellecta forma „transcendere" ductam esse perspicerent, cum acumine quodam sed parum religiose alterum perfecti exitum *(„erunt")* intulerunt eo consilio, ne quis iterum in eundem

[1]) occasione oblata commemoro formarum in „ere" cadentium numerum apud Livium per gradus imminui. De qua re cum accuratius quaererem, haec fere observavi: pro centum perfectis in „erunt" terminatis formae alterius exitus *(„ere")* leguntur in libro IV: 205; in libro V: 175; in libro X: 80; XXII: 50; XXV: 25; XXX: 28; XXXIV: 14; XXXVIII: 16; XLII: 13.

errorem incideret. Cujus interpolandi generis praeter hunc locum tria exempla indagavi:

3, 44, 7: „Vergini patris sponsique Icili populare nomen celebratum" Ver.; celebrabatur Vict.; verum est „celebratur" cf. pag. 15 *seq.*

4, 17, 11: „legiones faliscorum auxiliorum venerunt" Ver. „legiones auxilio faliscorum venerunt" Vict.; primitiva lectio est „legiones faliscorum auxilio venerunt" vid. infr. pag. 40.

5, 44, 1: „sed res ac communem periculum" Ver.; „sed res ac periculum commune" Vict.; scribendum est „sed res ac commune periculum" vid. inf. pag. 43 *seq.*

quibus omnibus locis neglecta de industria mendae causa Victorianus vel Nicomachi correctura sua praecavere voluerunt, ne fontis vitium denuo irreperet.

Quarto loco 3, 57, 9, etiamsi certa argumenta, cur altera utra forma sit praeferenda, desint, cum in similibus exemplis et „evenerunt" *(cf.* 8, 37, 3*;* 34, 55, 5*)* et „evenere" (7, 12, 6) legantur, tamen quod 4, 7, 8; 5, 5, 5; 5, 33, 5 Veronensis scripturam probabiliorem esse vidimus, hujus auctoritatem utique sequor.

Caput alterum.

Veniamus, sicut instituimus, ad verborum ordinis discrepantias, de quibus Mommsenus, qui maximam partem eas enumerat *(pag.* 185 *nota* 1*)* dicit „argumentis raro talia dijudicabis. Sed Wodrigius jam octo locis (3, 13, 3; 3, 19, 10; 3, 24, 4; 3, 62, 6; 3, 67, 3; 4, 13, 12; 5, 7, 12; 5, 32, 3) probis argumentis veram lectionem Livio ex Veronensi reddidit, quorum tres (4, 13, 12; 5, 32, 3; 5, 7, 12) Weissenbornius auctore non addito recipiendas duxit *(in ed. Weidm.)*, quinque priores silentio praeteriit. Iniquius enim, quippe qui singulas magis quam collectas atque inter se comparatas consideraverit lectiones, de verborum ordine a Veronensi servato judicat, cujus rei optimo documento est annotatatio ad 4, 25, 13 *(vid. inf. pag.* 40*)*. Quare, praesertim cum etiam Madvigius Mommseni iudicium secutus *(cf. pag.* 2*)* iterum atque saepius Veronensem neglexerit *(velut* 3, 13, 3*;* 3, 19, 10*;* 3, 24, 4*;* 3, 62, 6*;* 3, 67, 3*;*

4, 13, 12; 5, 7, 12 *alibi)*, operae pretium ne dicam necessarium videtur, in collocanda verba inquirere, ut, si possimus, uno alterove loco Veronensem defendamus fidemque nimiam recensioni Victorianae adhuc habitam magis magisque infirmemus.

Ac primum quidem de nonnullis locis, quibus duo similes adjungentur, agamus, ubi subjectum vel in nominativo vel usurpata accusativi cum infinitivo constructione in accusativo positum diverso enuntiati loco legitur.

De 3, 67, 3 *[„ergo capi me Roma consule potuit“ Ver.; „ergo capi Roma me consule potuit“ Vict.]* jam Wodrigius disseruit atque, ut Veronensis lectionem probam esse demonstraret, primo nonnulla exempla implicatioris apud Livium verborum ordinis attulit, quae ad hunc locum minus pertinent. Deinde ad tuendam ipsam, de qua ambigitur, verborum collocationem comparavit quattuor locos, dicens „non desunt exempla, ubi ablativi absoluti, qui vocantur, interpositis aliis vocabulis dirimantur“. Sed locus 21, 8, 2 *(„vix accipientibus-opera locis“)* ab hoc valde abhorret, cum vocabulum „opera“ pendeat ex participio ablativi absoluti, cujus conformationis permulta exstant exempla: illud potius illustrandum est, ablativi absoluti constructionem vocibus, quae ex ipsa non pendeant, dirimi posse. Jam reliqua eius exempla *(cf. Weissb. ad* 38, 47, 7; *Kühner l. d. II.* §. 118 *A.* 19) praebent pronomen „ipse“, quod quam saepe *(sicut pronomen quisque)* quibuslibet vocabulis arte cohaerentibus interponatur, neminem fugit. Itaque cum circumspicerem locos melius huic conferendos quinque inveni: 1, 7, 11 „dextra Hercules data“; 22, 17, 7: „interea toto agmine Hannibal transducto“, 21, 31, 9: „sedatis Hannibal certaminibus“, 21, 48, 5: „missisque Hannibal primum Numidis“, 24, 25, 3: „clausis Andranodorus Insulae portis“; etiam apud Caesarem *(Bell. Civ.* 3, 12, 1) legimus „recepto Caesar Orico“, ubi videnda sunt, quae Kraner annotavit. Ex his exemplis loco, de quo exponitur, similibus colligendum est, nomina propria in nominativo posita nonnunquam ablativi absoluti constructionem interrumpere. Qui, etsi rarior, usus, quo vis transpositarum notionum augetur, optime in concitatam Quinctii consulis orationem quadrat, cum verbis „me“ et „Roma“ pondus addi vel maxime consentaneum sit.

Itaque sine ulla dubitatione Veronensis verborum ordinem, in quo cum esset inusitatior, Victorianus vel Nicomachi offenderunt ideoque vulgatum substituerunt *(cf. ad 4, 17, 9 pag. 8 seq.)*, genuinum existimandum esse censeo.

Sequitur, quamquam proprie ad objecti collocationem pertinet, alter locus, quo item ablativi absoluti particulae pronomine demonstrativo, quod objecti vice fungitur, in Veronensi separatae sunt 4, 13, 5 „quae res necdum compositis eum maturisve satis consiliis oppressit", cum exhibeat Victoriana „quae res eum necdum compositis maturisve satis consiliis oppressit". Exempla quidem, in quibus inter participium et nomen substantivum ablativi absoluti accusativus collocatus sit, duo[1]) tantum apud Livium notavi: 1, 39, 2 „sedatoque eam tumultu moveri vetuisse puerum"; 25, 3, 18 „per vacuum summoto locum cuneo"; eoque magis correctoribus illis antiquis scriptura, quam in codice suo invenerunt, mira atque suspecta esse potuit. Ut nos nihilo secius Veronensis lectionem praeferamus, movent praeter consuetudinem illam Victoriani et Nicomachorum, de qua ad 4, 17, 9 *(pag. 8 seq.)* dixi, duo loci, quos modo attuli, atque nonnulli ex aliqua parte illis similes, ubi objectum *(acc.)* et saepe quidem pronomen demonstrativum inter alias voces arte conjungendas legitur velut: 3, 70, 4 „in suo proprio eum proelio equites Volscorum et Aequorum exceptum aliquamdiu tenuissent"; 2, 46, 4; 3, 38, 5; 3, 40, 3; 4, 4, 8; 4, 33, 5; 5, 1, 7; 5, 27, 2.

Venio ad 3, 51, 3 *[Ver.: „ad eum ipsum is honos primum deferretur"; Vict.: ad eum ipsum primum is honos deferretur"]*, quo loco ante omnia dicendum est, verborum ordinem a Veronensi traditum propter subjectum verbis artius cohaerentibus *(eum ipsum primum)* interjectum minus usitatum esse, quae res secundum ea, quae ad 4, 17, 9 *(pag. 8 seq.)* proposui, suspectam reddit lectionem Victoriani, commendat incuriosi librarii. Accedit, quod Veronensis scriptura et inter-

---

[1]) cf. Caes. Bell. Gall. 1, 44, 10 „debere se suspicari, simulata Caesarem amicitia, quod exercitum in Gallia habeat, sui opprimendi causa habere".

positae *(„is honos“)* et praecipue distractae notionis *(„primum“)* vim aptissime auget: nam cum extraordinarius honos commemoretur et Verginius omnium maxime eo dignus existimatus sit, mirum videri potuit, quod honorem in se collatum aspernatus est *(cf. quae in* §. 3 *hujus cap. sequuntur).* Livium vero in collocandis verbis hoc assequi semper studuisse, ut gravioris quam ceterae momenti voces positione quoque conspicuae essent, cum nemo in eo mediocriter versatus ibit infitias, tum Kühnastius in unaquaque fere pagina (304 *seqq.)* capitis, quod „verborum ordo“ inscribitur, recte monuit. Jam si duabus de causis Veronensis lectionem genuinae speciem prae se ferre intelleximus, id quoque haud neglegendum est, Victorianae recensionis collocationem propter molestum vocabulorum „eum ipsum primum“ parem exitum displicere, quem etsi non semper vitasse Livium constat, melius certe, si potest, expellitur. Restat, ut rariorem verborum conformationem, qualem Veronensis tuetur, exemplis ex prima maxime decade collectis confirmem cf. 2, 1, 2 „quas novas ipsi sedes auctae ab se multitudinis addiderunt“; 2, 6, 8; 1, 26, 10; 2, 46, 4; 2, 47, 8; 3, 45, 6; 31, 14, 3; 32, 19, 3.

Accedamus jam ad locum 4, 25, 8 *[Ver.: „nequiquam Vejente populo querente, eandem, qua Fidenae deletae sint, imminere fortunam Veiis“; Vict.: „ . . . imminere Veiis fortunam“],* quo et ipso de enuntiati subjecto *(„fortunam“)* atque eo constructione Accusativi cum infinitivo quaerendum est. Cum simplex verborum ordo ex solitis grammaticae regulis sit „fortunam Veiis imminere“ *(subj. — obj. — praed.),* inverso ordine *(praed. — obj. — subj.)* conformationem hanc „imminere Veiis fortunam“ evadere consentaneum est *(cf. Kühner l. d.* §. 246) eamque Victorianus et Nicomachi exhibent. Quae praeter hoc exemplum iterum atque saepius apud Livium invenitur (5, 28, 12; 5, 29, 7 *alibi),* sed certo consilio sive ad notionem aliquam efferendam sive ad figuram rhetoricam efficiendam nonnunquam variatur, quod praeclare docet locus 5, 15, 7, ubi omnes notiones transpositae sunt. Itaque etiam hoc loco scriptori omisso simplici ordine inverso vocem „Veiis“, si gravius ei pondus addere voluit, in fine sententiae collocare licuit. Ratio igitur, cur „Veiis“ in exitu totius periodi pona-

tur, ea est, quod si ita scribimus, nomen, in quo vis enuntiati vertitur, positione optime significatum est. Loci enim, quibus summa gravitas inest, primus atque ultimus sunt *(cf. Raspe: Wortstellung der lat. Sprache pag.* 7 *et* 9*)*, quare, cum in hac sententia voces „eandem" et „Veiis" pondere ceteris praestent, eas in gravissimis enuntiationis locis poni aequum videtur. Si vero quis concinnam responsionem *(chiasm.)* omnium periodi partium in lectione recensionis Victorianae urgere velit, qua opponantur „eandem" et „fortunam", „fidenae" et „Veiis", „deletae sint" et „imminere", dicendum est, eam ipsam Victoriano vel Nicomachis fuisse mutandi rationem, quippe qui imbuti arte rhetorica illo tempore degenerata ad speciosam magis quam ad gravem conformationem verborum animum adverterint. Chiasmus autem probata Veronensis scriptura haud pejus quam altera lectione efficitur *(„Fidenae deletae sint, imminere Veiis")*, quoniam vocabulum „fortunam" ad ipsum chiasmum non pertinet ideoque ubivis collocari potest *(cf.* 5, 44, 7*: „non recuso eundem Ardeae rerum mearum exitum, quem Romae habui.")*

Brevius tractare possumus locum 6, 6, 9, ubi Veron. praebet „certantem ipsum secum adnisurum" *(scil. Camillum)*, Victoriana: „certantem secum ipsum adnisurum". Primum quidem monendum est, utrumque verborum ordinem cum dicendi usu convenire, de qua re conferatur Raspe *(l. d. pag.* 26 *et* 27*)*, qui exemplis demonstravit, et „ipse se" et „se ipse" scribi posse; velim addidisset, pronomine „ipse" ante personae vel rei significationem collocato oppositionem acui *(cf. Kühner l. d. paragr.* 118 *A.* 20*)*. Inquirenti igitur in usum loquendi Livianum maxime primae decadis egregie Kühneri regula confirmatur, cum vocem „ipse" et multo rarius ante pronomen reflexivum positum reperiamus et, si anteponitur, ad personam vel rem alteri aut pluribus cum vi opponendam *(cf.* 2, 42, 1*: „dulcedo agrariae legis ipsa per se dempto auctore subibat animos";* 3, 43, 4*: „cum ipse se praevalidus pari viribus animo circumventus tutaretur"*, in quo exemplo oppositae personae e contextu sumendae sunt; 7, 2, 11*;* 7, 14, 3*;* 8, 20, 6*;* 8, 39, 14*;* 30, 14, 8*)*. Quod eo magis fieri par est, si de subjecto agitur, a quo id, quod narratur, minus exspectamus

(cf. 7, 14, 3*: „ipsos sibi locum ac tempus pugnandi sumpturos, si ab imperatore non detur"*; 7, 2, 11*)*.

Jam ut eam legem in hunc locum transferamus, nemo negabit, sententiae vim pronomine „ipsum" contineri, cum Camilli verba eum sensum habeant, ipsum certare secum oportere, quod alias fieri non soleat, tunc vero fiat, cum collegae omisso inter se certamine in unum summum imperium detulerint. Quare utique Veronensem sequor, praesertim cum facile Victorianus vel Nicomachi ad turbandum genuinum verborum ordinem induci potuerint ea re, quod „secum" vocabulum cum verbo „certare" artius conjungi voluerunt.

Loco 5, 39, 9, quo et ipso collocatio subjecti *(Acc. c. inf.)* inter duas recensiones discrepat, exhibet Veronensis „nam cum defendi posse urbem tam parva relicta manu spes nulla esset, placuit cum conjugibus liberisque juventutem militarem in arcem Capitoliumque concedere, armisque et frumento collato ex loco inde munito deos hominesque et Romanum nomen defendere", Vict.: „nam cum defendi urbem posse etc." Quaerendum est, quoniam uterque verborum ordo et sermoni Liviano *(cf. ad* 4, 25, 8 *pag.* 30*)* et sententiarum nexui accommodatus est, num causa, cur a verbis traditis altera recensio recesserit, fortasse appareat. Atque revera, cum in apodosi de retinenda arce atque de defendendo nomine Romano mentio fiat *(in arcem Capitoliumque concedere; deos hominesque et Romanum nomen defendere)* verisimile est, Victorianum vel Nicomachos ad augendam vocis „urbem" vim pro „defendi posse urbem" scripsisse „defendi urbem posse". Sed jam simplici ordine inverso *(def. posse urb.)* vocabulo, quod est „urbem", satis ponderis additur, quare mutatio illorum necessaria non est, immo propter eundem verborum numerum in fine enuntiati, spes núlla esset" et in initio, defendi úrbem posse" meo quidem judicio vix placet.

Locus 3, 62, 3, qui, cum de vocativi positione agendum sit, optime exemplis de nominativi collocatione adjungitur, difficillimus est ea de causa, quod ante omnia recensionis Victorianae lectionem ex summa librorum discrepantia eruere debemus. Madvigius igitur in emendationibus Livianis *(pag.* 102*)* Medicei et Wormaciensis scripturae „quos vos milites geritis"

vocem „milites“ ut inanem repetitionem ex antecedenti paragrapho prorsus neglegendam censet, quod haud dubie levius est, cum satis constet, minime Livium eiusdem vocabuli iterationem evitasse *(cf. Müller, Progr. v. Stendal* 1871 *pag.* 5*)* et appellationem praecipue in commota oratione, sicut hoc loco, brevi intervallo posse iterari doceant exempla 3, 67, $^4/_5$: „Quirites“; 5, 44, $^1/_3$; „Ardeates“. Jam ille ab hac sententia praepropere profectus lectionem Med. et Worm., quod ad vocem „geritis“ attinet, recte ab eo pro falsa habitam, judicat ortam esse soluta prima syllaba „fe“ a voce „feceritis“ atque cum pronomine „mihi“ coartata, quo facto et „milites“ et „geritis“ evaserint. Deinde lectionem Leydensis „quod vos mihi tetegeritis“ non corrigendo natam, sed propiorem primae mendae „mihi fegeritis“, denique Parisini et deteriorum librorum scripturam „mihi effeceritis“ conjectura inventam esse opinatur. Verum praeterquam quod temere ab eo neglecta est vox „milites“, artificiosa haec singulorum vitiorum genesis cuique videri debet et maxime mihi quidem suspecta est prima illa menda, a qua Leydensis corruptela „mihi tetegeritis“ et deteriorum quorundam conjectura *(cum Parisino mire congruens)* „mihi effeceritis“ originem duxerit, cum genuina lectio emendanti fuerit proxima. — Jam vero ut ad explicandam nostram sententiam transeamus, gravis momenti eam rem esse judicamus, quod pronomen „mihi“ in duobus optimis codicibus *(Med. et Worm.)* deest et pro eo vox „milites“ comparet, cum in Leyd. et Paris. et ipsis primae classis libris atque in deterioribus codicibus nonnunquam correctis, saepius interpolatis reperiatur, „milites“ et „mihi“ hoc verborum ordine „quod vos milites feceritis mihi“ in Havercampiano, uno ex deterioribus, legantur. Quae lectio, in qua aperte pronomen „mihi“, cum, ut ita dicam, claudicante pede sequatur, sive in archetypo suprascriptum sive in margine exaratum pravo loco post perductum ad finem enuntiatum additum est, facultatem nobis offert, ut primitivam Victorianae recensionis scripturam restituamus. Nam si Victorianum conformasse locum ita „quod vos, milites, mihi feceritis“, deinde propter litterarum similitudinem facili errore pronomen „mihi“ excidisse probamus, eam habemus lectionem, ex qua librarius, qui Med. et Worm. archetypon exaravit, cum

offenderet in omisso pronomine „mihi“ verba „milites geritis“ conjecit[1]), Leydensis neglecta littera „s“ in minusculis „e“ simillima aberravit in „mihi tetegeritis“, Parisinus deceptus similibus litteris „f“ et „s“ scripsit „mihi effeceritis“, archetypon deteriorum codicum conjectura, quae pronomine „mihi“ in versu quidem deficiente, sed in margine adscripto *(vid. sup.)* probabilis est, idem „mihi effeceritis“ invenit.

Quae cum ita sint, cum primitivam recensionis Victorianae lectionem probabili ratione „quod vos, milites, mihi feceritis“ fuisse viderimus, jam ponderandum est, utrum Victorianae an Veronensis verborum ordinem „quod vos mihi feceritis, milites“ pro vero habeamus. Ac certe, cum vocis „milites“ collocatio in Veronensi alia atque in antecedenti paragrapho sit ideoque repetitio eius minime molesta videatur, eius lectionem praeferemus, quam Victorianus vel Nicomachi proximae paragrapho accommodarunt *(cf. ad* 4, 24, 6 *pag.* 37 *seqq.)*. Exemplum autem positi in fine enuntiationis vocativi locum supra exscriptum afferre possum 3, 67, 5.

Jam revocato in memoriam loco 4, 13, 5, de quo supra *(pag.* 29 *seq.)* occasione oblata exposui, aggrediamur ad alios tres, ubi de objecti collocatione agendum erit.

In primo discrepantiae exemplo 3, 13, 3 Wodrigius Veronensis lectionem „nec sibi exequi rem tam atrocem per consules superiorum annorum licuisse“ Victorianae „nec sibi rem exequi tam atrocem etc.“ jure praeposuit, quod enuntiati vis in notione „exequi“ versetur eaque de causa in principe loco eam collocari aequum sit *(cf. Kühnast l. d. pag.* 314 *de objecti positione)*.

Altero loco 3, 61, 7 exhibet Victoriana „haec ubi inter signa peditum dicta dedit“, Veron. „haec ubi inter signa peditum dedit dicta“, in qua recensionum discrepantia exponendum est de dicendi formula a poetarum epicorum maxime usu repetita *(cf. Weissb. ed. Weidm., Nachtr. und Berichtigg. pag.* 405*)* „dicta dare“ pro simplici verbo, quod est „dicere“. Quam apud Livium praeter hunc locum ter invenimus 7, 33, 11; 22, 50, 10; 29, 2, 12 et bis 7, 33, 11 atque 29, 2, 12 legimus

[1]) ex duplicibus ejus lectionibus, quae quidem in derivatis codicibus *(Med. et Worm.)* prave cum primitivis mixtae sunt, apparet, haud rudem ·se ideoque conjecturam ab eo non abhorrere.

tempus plusquamperfectum, quo facto numerosa forma a pedestri oratione aliena expulsa est. Quod autem ad 3, 61, 7 et 22, 50, 10 attinet, haec sola sunt exempla[1]), in quibus scriptor in usurpanda poetica formula etiam numerum servavit, cum saepius ad evitandum numerum poetico similem solitam verborum collocationem omiserit *(cf. Kühnast l. d. pag.* 314 *summa).* Si igitur priore loco sermonis vitium a vetustiore teste vitatum eiusque verborum ordinem loco Ovidiano *(Fasti IV,* 664 *„edidit . . . dicta")* defendi intellegimus, jam haec ratio ad tuendam Veronensis scripturam sufficiat. Accedit, quod Victorianus vel Nicomachi, cum in archetypo suo „dedit dicta" invenirent atque verba Vergilii omnium poetarum aetate media maxime vulgati *(cf. Ribbeck, Proleg. ad. Verg.)* recordarentur „haec ubi dicta dedit", facillime a vero aberrare potuerunt. — Rebus ita comparatis haud scio an auctoritate vetustissimi codicis Liviani nixi loco 22, 50, 10 pro „haec ubi dicta dedit" scribamus „haec ubi dedit dicta". Nam et facile eadem de causa, qua in recensionem Victorianam, in Puteanum[2]) sive in archetypon eius vitiosus ille verborum ordo inferri potuit, quo mutato nemo numerosam insequentium verborum *(„stringit gladium cuneoque facto per medios vadit hostes")* conformationem sentiet.

Tertio loco 3, 42, 6 *[„omnes, qui per aetatem ferre arma possent" Ver.; „omnes, qui per aetatem arma ferre possent Vict.;]* commendatur Veronensis lectio ea re, quod ex exemplis ad 4, 17, 9 *(pag.* 8 *seq.)* collatis verisimile est, Victorianum vel Nicomachos collocationi „ferre arma" rariori et, ni fallor, semel tantum (25, 5, 7) praeter hunc locum usurpatae vulgatam *(cf.* 1, 44, 2*;* 3, 4, 10*;* 4, 22, 1*;* 5, 39, 13*; Eichert: Lex. Caes. sub voce „arma")* praetulisse. Utroque vero loco, ubi verbum „ferre" anteponitur, enuntiatum praecedit *(*25, 5, 7*: „roboris satis"; *3, 42, 6*: „propter aetatem"),* quod inusita-

[1]) dactylici versus vel particulae eorum, qualia huc atque illuc detecta sunt *(cf. Drakenborch. ad praef.* 1*; Fabrius ad* 22, 50, 10*)* minime in locos, de quo agimus, quadrant, quia illae conformationes omnes poetico exemplo carent.

[2]) cf. de vocibus saepius prave in Puteano transpositis Luchsius Proleg. pag. CX seqq.

tiorem verborum ordinem, quo notio ferendi magis intenditur, satis declarat *(cf. Drakenborch ad* 25, 5, 7*)*.

Quibus collocati objecti discrepantiis adjungere mihi liceat exemplum, in quo de objecti *(in dativo positi)* attributo dicendum est 4, 55, 3, ubi traditur in recensione Victoriana „duo singuli singulos sibi consules adservandos adsidua opera desumunt“; in Ver. „duo singulis[1]) sibi consules singulos etc.“ Weissenbornius igitur annotat, librorum Victorianorum lectione voces „singuli“ et „singulos“ melius juxta poni. Concedo, quia saepissime paria attributa, quae ad eiusdem enuntiati notiones pertinent, sese excipiunt *(cf. de voce „singuli“* 1, 8, 3*;* 1, 17, 3*;* 6, 18, 6*; in universum Raspe l. d. pag.* 65*)*, hanc figuram usurpari potuisse; necessariam vero non esse, haud pauci demonstrant loci velut 2, 13, 11: „Romani novam in femina virtutem novo genere honoris statua equestri donavere“; 2, 29, 5; 2, 42, 8; 4, 35, 9; 5, 27, 3. Ab altera parte hoc loco certa causa est, cur minus eam probemus. Constat enim collocatione illa attributorum vim augeri, atque Weissenbornius quidem ratione ejus rei habita ad confirmandam Victorianae recensionis scripturam „duo singuli“ melius insequenti „uni“ opponi dicit. Sed graviorem esse oppositionem vocabulorum „duo“ et „uni“ perspiciemus, si locum paullo accuratius consideraverimus. Divisum est, quod exequendum tres Icilii sibi proposuerant, in duas partes, quarum altera ad consules adservandos, altera ad concitandam plebem spectabat. Si igitur duae provinciae distinguuntur, etiam duo Icilii, quibus propter duos consules ad prius negotium opus erat, uni recte oppositi sunt. Ex Weissenbornii autem interpretatione *(duo singuli — uni)* haud concinne dimidia prioris muneris pars toti, quo tertius Icilius functus est cuique unus suffecit, respondet. Quare sine ulla dubitatione Veronensis verborum ordinem, qui etiam propter chiasmum valde placet, recipiendum duco; Victoriana contra scriptura cum eadem, quam exhibet Veronensis, archetypi menda *(„singuli“)* pro „singulis“ tum studio illo explica-

1) addita est a me littera „s“, quae propter insequentem eandem litteram facile excidere potuit, sicut 3, 34, 6 utrique recensioni vitium „edito satis“ pro „editos satis“ insidet.

tur, quo correctores frequentissimam conformationem inusitatiori substituere solent. Itaque addendus est hic locus eis, quibus Fischerus (*Hermes III*, 483) judicat, eo fallaciorem atque damnosiorem Victorianae recensionis esse interpolationem, quo magis elegantia quadam a verbis inepte et inconsulte in Ver. additis differat.

Veniamus ad aliud discrepantiarum genus, quod ad genetivi collocationem spectat, atque anteponamus locum 6, 6, 14 [*„quaeque alia belli tempora poscent“ Ver.; „quaeque belli alia tempora poscent“ Vict.*], quem jam ante editum codicem Veronensem Reizius (*Monatsber. der sächs. Ges. der Wiss.* 1850) emendandum censuit. Madvigius igitur in Prolegomenis editionis alterius (*pag. V*), cum de Veronensi taceat, illi assentitur, tamen conjecturam non recepit; quae nunc codice Veronensi praeclare confirmata est.

Summi, ut mihi videtur, momenti ad judicium de recensione Victoriana ferendum est 4, 24, 6, quo loco Veronensis „consensu populi ingenti“, Victoriani libri „consensu ingenti populi“ praebent. Minus urgendum est, Veronensem paullo rariorem verborum ordinem, quo genetivus inter nomen regens et attributum eius collocetur (*cf. Kleine: De genetivi apud Livium usu pag.* 9), habere, ne ei quidem rei satis magnam vim tribuo, quod lectio „consensu populi ingenti“ propter enuntiatum brevissimo intervallo sequens „favore ingenti populi“ variata notionum positione commendatur: aliud mihi praesto est argumentum. Nam pari conformatione in duabus paragraphis, quae sese excipiunt, a recensione Victoriana tradita, cum Veronensis altero loco ab ea discrepet, inductus quaestionem instituendam putavi, quomodo in aliis differentiis, ubi similiter comparatus locus in propinquo esset, recensiones sese haberent. Atque cum eam rem pertractarem, observavi, iterum atque saepius et in temporibus:

3, 68, 3: „jam unicuique ex agris sua damna nuntiabantur“ Ver.; „nuntiabuntur“ Vict., cum mox legatur „restituent“.

3, 68, 7: „sequetur vos necessitas militandi“ Ver.; „sequitur“ Vict. propter antecedens verbum „vivite“ et sequens „fugitis“.

4, 23, 3: „Licinio libros haud dubie sequi linteos placuit“

Ver., „placet“ Vict. Legitur in antecedenti sententia „dissimulat“, sequitur „est“.

5, 5, 5: „vallum fossamque . . . . duxere“ Ver., „duxerunt“ Vict.; antecedit „voluerunt“, sequitur „fecerunt“;

et in numero:

4, 33, 9: „dictator exclamat, Quinctium legatum et suos ab tergo hostes adortos“ Ver.; „hostem“ Vict. ex paragraphis 7. et 10.

et in vocabulis inter recensiones discrepantibus:

3, 63, 6: „senatumque in Martium campum vocavere“ recte Ver. *(cf. Weissenb. ad h. l.)*, „evocavere“ Vict. probabiliter propter sequentis paragraphi enuntiatum „avocavere senatum“.

3, 67, 1: „in conspectum vestrum processi“ Ver.; „in contionem vestram processi“ Vict. ex ultima antecedentis capitis paragrapho, ubi legitur „consul ad contionem populum vocavit“.

5, 5, 7: „si uno tenore peragitur“ Ver.; „tempore“ falsissime Vict. ex verbis insequentibus „loquor de temporis jactura“.

5, 45, 3: „excursione ab oppidanis facta circumveniuntur“ Ver.; „incursione“ Vict., cum in vicina paragrapho exaratum sit „incursiones facerent“.

et in vocibus spuriis:

5, 31, 5: „superbia elati ultro agros incursavere“ Ver.; „agros Romanos“ Vict.; antecedit in proxima sententia „in agro Romano“.

5, 40, 9: „Albinius de plebe homo“ Ver.; „de plebe Romana“ Vict. ex insequenti paragrapho, quae exhibet „sacraque populi Romani“.

et in constructionibus:

3, 50, 14: „quippe ab ipsis datum locum seditioni esse“ Ver.; „seditionis“ Vict., cum correctores in memoria haberent „locum seditionis“ in c. 46, 2.

5, 52, 13: „quantum piaculum committatur“ Ver.; „quantum piaculi“ Vict. ex sequentis paragraphi constructione „tantum piaculi“.

Denique in ipso verborum ordine:

3, 62, 3: „quod vos mihi feceritis, milites“ Ver.; „quod vos, milites, mihi feceritis“ Vict., cum antecedat in proxima paragrapho „arbitror vos, milites, audisse“ *(cf. pag.* 32 *seqq.).*

4, 23, 1: „apud Licinium Macrum *(cf.* 4, 7, 12*)* invenio“ Ver.; „apud Macrum Licinium invenio“ Vict. ex capite 20, 8 „Macer Licinius“.

5, 44, 1: „sed res ac commune periculum“ Ver.; „periculum commune“ Vict. ex paragrapho tertia, ubi legitur „ex hosti communi“; vid. infra pag. 43.

6, 3, 9: „ultima in spe“ Ver., „in spe ultima“ Vict., cum in paragr. quarta eiusdem capitis inveniatur „necessitate ultima; —

in his rebus omnibus, inquam, lectionem ad locum aliquem prope inventum in recensione Victoriana conformatam esse, cum talis interpolatio in Veronensi grassata non esse videatur. Nam aliter dijudicandus est, locus 5, 43, 8 *[„atque de eo pavide Ardeates consultare“ Ver., „pavidos“ Vict.;]* quo, quamquam in cap. 39, 8 scriptum est „civitas pavide fugerat“, vocabulum „pavidos“ substantivo „Ardeates“ accommodatum esse unice verisimile est. Quominus autem a Veronensis librario, quod fortasse opponat aliquis, ad variandam scripturam omnes illi loci interpolati sint, cum eruditio eius minima *(cf. Prooem. pag.* 5*)* tum ea res obstat, quod in aliis exemplis in recensionibus inter se discrepantibus, ubi Veronensis conformationem cum vicina aliqua congruentem, Victoriana ab ea differentem exhibet, non in illa, verum in hac interpolatio statuenda est. Ita loco 4, 13, 8, ubi in Veronensi verbum „defert“, quod unum verum a Mommseno atque Fischero *(l. d.)* assensu recentiorum probatum est, legitur, cum bis in paragraphis 9 et 10 repetita sit, a Victoriano vel Nicomachis ejectum et pro eo „refert“ prave illatum est. Similiter 5, 39, 11 vox „deorum“ *(cf. Mommsen. ad h. l.)* propter enuntiatum brevi intervallo sequens „sedes deorum“ expulsa atque pronomen „eorum“ scriptum est. Tertium exemplum est in libri sexti c. 3, 8, in quo numerus pluralis „inermibus“ a Mommseno atque Fischero *(l. d.)* concinnitatis causa propter oppositum vocabulum „armatos“ revocatus est, cum apud

Victorianum singularis „inermi“ variandi gratia propter paragraphi proximae pluralem „inermes“ legatur. Quartus locus est 4, 7, 8, quo Victorianus vel Nicomachi, cum in quattuor eiusdem exitus perfectis „coiere“, „creavere“, „vicere“, „reliquere“ offenderent, tertium mutaverunt (*cf. supra pag.* 9/10).

Paullo copiosius dicendum est de 4, 25, 13, qui locus ad verborum ordinem pertinet, ubi traditur in Veronensi „ne cui album in vestimentum addere ptionis (*pro „petitionis“*) causa liceret“, in Victoriana „ne cui album in vestimentum addere petitionis liceret causa“. Accedunt praeter eam, de qua agimus, consuetudinem recensionis Victorianae — antecedit enim in proximo versu „ambitionis causa“ et paullo ante verbum „liceat“ in fine enuntiati collocatum — duae res, quae movent, ut Veronensis verborum ordinem pro genuino habeamus. Primum quidem legibus, qualis hoc loco commemoratur, non magis quam enarrandis prodigiis rebusque sacris contortior verborum collocatio convenit (*cf. Luchs l. d. Proleg pag. CXV.*), deinde quantopere Veronensis librarius ab interpolatione abhorruerit ipse, menda stultissima sive propagata sive illata „addere ptionis“ documento est. Etiam Madvigius in novissima Livii editione (1873) scripturam Veronensis in textum recepit. Jam ut sententiam Weissenbornii, qui annotavit „der Veron. hat die gebräuchliche Ordnung „petitionis causa lic.“, doch ist in ihm auch sonst eine weniger gebräuchliche Ordnung geändert s. c. 23, 1; 3, 61, 7; 67, 6; 4, 17, 11“ refutemus, monendum est, exempla 4, 23, 1; 3, 61, 7 contrarium eius, quod vult demonstrare, cum Veronensis inusitatiorem apud Livium verborum ordinem exhibeat (*cf. ipsum Wb. ad* 4, 23, 1; *et quae ego ad* 3, 61, 7 *pag.* 34 *seq. scripsi*), tertium locum 3, 67, 6 in Victoriana aliter quoque corruptum esse (*vid. infra pag.* 42), denique 4, 17, 11 aperte interpolatum esse, quod jam explicabimus.

Primus Cuperus (*cf. Drakenb. ad h. l.*) in Victorianae recensionis lectione „legiones auxilio faliscorum venerunt“ summo jure offendit et pro ea „auxilia faliscorum“ parum probabiliter scribi jussit. Deinde Kiehlius (*Mnemosyne I,* 95) conjectura haud dubie vera, quippe cui Veronensis adstipuletur (*faliscorum auxilio|rum|*) quamque Madvigius (*ed. altera*) et Weissen-

bornius *(ed. Weidm.)* secuti sunt, ordinem „faliscorum auxilio“ restituit. Confirmatur autem Veronensis scriptura corrigendi vel potius interpolandi ratione Victoriana et Nicomachorum, de qua ad 5, 33, 5 dixi *(pag. 26/27)*.

Verum ne nimia admiratione codicis Veronensis captus eumque caece secutus esse videar, nunc in enumerandis genetivi collocationis discrepantiis etiam duo loci commemorandi sunt, ubi a juste judicantibus Victorianae recensionis lectio tenenda erit. Quorum prior est 4, 36, 5, ubi legitur in Veron. „Appium Claudium decemviri filium“ apud Victorianum „Appium Claudium filium decemviri“. Miro igitur modo Weissenbornius hoc loco adversus omnes editores Veronensis verborum ordinem, cum apud Livium usitatus sit, parum memor eorum, quae paullo ante ad 4, 25, 13 annotavit, in editione Weidmanniana recepit. Sed quoniam verborum ordo a Veronensi traditus saepissime fere in unaquaque pagina invenitur et ab eo scriptor excepto hoc loco et 40, 42, 13 „P. Scipionem, filium Africani“ non recedit, etiam inconsultus alibi librarius propter alteram conformationem saepissime usurpatam ad interpolationem fere mendae parem labi potuit. Itaque Victorianae scripturam, quae rarissima, tamen haud sine testibus est *(cf. C. J. L. 29: „Cornelium Scipionem, filium Barbati“)* veram judicaverim. — Etiam collocatio vocum „anni exitu“ (6, 4, 7) pro usitata dicendi formula „exitu anni“, quod communis fontis fortasse vitium a Victoriano vel Nicomachis correctum est, mea quidem sententia vix probanda est.

Quod adhuc de singulis locis accuratius exposui, necessarium videbatur, cum tres tantum (3, 13, 3; 4, 17, 11; 6, 6, 14) ab hominibus doctis pertractati essent; quae nunc sequuntur exempla, in quibus de adjectivi et adverbii positione agitur, maximam partem vel Madvigius vel Wodrigius tetigerunt quaestionemque ad finem perduxerunt, ut de paucis longior futura sit disputatio.

Loco 3, 19, 1 cum Veronensi haud dubie legendum est „pace parta“, cum inversum ordinem, quem Mediceus et Parisinus exhibent, ne in Victoriana quidem fuisse constet et verus jam a Drakenborchio revocatus sit *(cf. Wodrig. ad. h. l.)*. Deinde in eodem capite (§. 10) Wodrigius recte Veronensis

lectionem „ope humana“ pro Victoriani scriptura „humana ope“ defendit, ubi Weissenbornius injuria in notione „humana“ vim verti orationis contendit. Atque etiam 4, 56, 13 jam Madvigius *(Em. Liv. pag.* 128/129*)*, priusquam Veronensem vidit, in lectione recensionis Victorianae „interim patricii soluti legum magistratuumque verecundia per se quoque tribuniciam potestatem agerent“, suo jure offendit et scribere voluit „per se quoque et tribuniciam potestatem agerent“; postea ex Veronensi paullum mutilato Mommsenus genuinam conformationem „interim patricii soluti legum magistratuumque vi atque verecundia per se potestatemque tribuniciam agerent“ Livio reddidit eamque Madvigius omissis verbis „vi atque“, quae ille ad explendam lacunam addidit, in novissima editione recepit. Verborum autem ordinis immutatio cum prava totius loci deformatione in recensione Victoriana arte cohaesit, quippe quae, ut adjectivum „tribuniciam“ cum vi quadam pronuntiaretur ideoque ante vocem „potestatem“ poneretur, requireret.

Denique cum Wodrigio 5, 32, 3 *(cf. Weissenb. ad h. l.)* certe praeferendum est „primo concursu“ ex constanti dicendi usu, ubi perverse Victorianus vel Nicomachi scripserunt „concursu primo“; praeterea in proximis verbis vocem „versa“, quam Veronensis servávit, omisere.

Quibus (4, 56, 13; 5, 32, 3) similis, cum sicut in antecedentibus duobus exemplis alterum Victorianae recensionis vitium *(„est venenum“ pro „et venenum“ cf. Madvig Em. Liv. pag.* 105*)*, quod a Veronensi abest, detectum sit, adjungendus est locus 3, 67, 6, quo Madvigius et Mommsenus simul cum aperta illa interpolatione etiam verborum ordinem „urbis hujus“ pro Veronensis scriptura „hujus urbis“ inventum expulerunt. Weissenbornius contra locum, de quo agimus, ad 4, 25, 13 *(cf. pag.* 40*)* affert, quo sententiam suam, saepius Veronensis librarium rariorem collocationem mutasse, probet. Sed non intellego, quomodo ille de lectione „hujus urbis“ ratione proximae interpolationis habita dubitare potuerit, praesertim cum extraordinariae positionis „urbis hujus“ non modo nulla causa appareat, sed etiam probata ea vocis „venenum“, quae multo majoris momenti est quam pronomen „hujus“, vis minuatur sonusque verborum „urbis hujus“ hoc ordine pessimus sit.

Ad tuendam locorum 4, 23, 1 *[Ver.: „Licinium Macrum"; Vict. „Macrum Licinium" cf. ad 4, 17, 9]* et 6, 3, 9 *[Ver.: „ultima in spe" cf. 4, 14, 5 ultimo in discrimine; Vict.: „in spe ultima"]* conformationem a Veronensi traditam satis erit eum, qui dubitet, ad ea remittere, quae ad 4, 24, 6 *(p. 37 seqq.)* de prava illa Victoriani et Nicomachorum consuetudine exposui, qua iterum atque saepius scripturam vicinae accomodarunt.

Sequitur locus 3, 38, 5 *[Ver.: „Aequi ex alia parte castra in Algido locant"; Vict.: „Aequi alia ex parte etc."]* ad quem Weissenbornius in annotatione dicit, „alia ex parte", significare „ex diversa aliqua parte", verum non addidit, enuntiatum „ex alia parte" idem esse quod „ex altera parte", ut oppositio cogitetur sive expressa sive e contextu sumenda duarum partium. Argumento est, quod pronomen „alter" *(in opponendis duabus partibus plerumque usurpatum)* aut inter praepositionem et nomen aut post nomen, nunquam ante praepositionem *(altera ex parte)* collocatur *(cf. 3, 11, 1: „ex altera parte" 3, 49, 6; 3, 61, 1; 6, 19, 1: „in parte altera"; 6, 30, 5 „ab altera parte"; 3, 61, 11: „ad alterum exercitum"; alia).* Jam demonstrandum est, pronomen „alius" haud abhorrere a locis, ubi exspectes „alter" de qua re conferatur Kühnerus *(l. d.* §. 119 *A.* 15*)*, qui affert Livii exemplum 26, 5, 6 „alia parte ipse adortus est, alia Campani". Ut vero praebeam exempla, ubi usurpato pronomine „alius" de duabus partibus, quarum altera e contextu supplenda sit, agatur, velim consideres 5, 45, 8: „ad aliam manum"; 3, 42, 7: „castra alia"; 25, 9, 9/13: „parte alia"; 26, 46, 2: „parte in alia". Qui rarior usus prorsus in locum, in quo versamur, quadrat, cum duo Romanorum illa aetate *(cf. 3, 30/31; 3, 24—29)* hostes, Sabini (§. 3) et Aequi commemorati et oppositi sint.

Loco „qui est 5, 44, 1: libri Victoriani habent „sed res ac periculum commune cogit etc.", Veronensis levi cum corruptela „sed res ac communem periculum cogit etc." Proponendum est, adjectivum „commune", si post „periculum" collocetur, aut ad utrumque nomen substantivum „res" et „periculum" trahi aut cum sola voce „periculum" conjungi posse; sin autem ante „periculum" ponatur, unius eius attributum esse. Ac primum quidem omnes concedent, parum recte ne dicam

inepte adjectivum ad utrumque vocabulum trahi, cum „res communis“ nihil aliud hoc loco ac „periculum commune“ foret. Quare, cum non trahi possit nisi ad solam vocem „periculum“, videndum est, quomodo ea verba interpretemur, ut deinde rectius de ordine eorum judicemus. Atque cum prius substantivum „res“ Gallorum adventum significet, in enuntiato, quod est „commune periculum *(peric. com.: Vict.)* priore loco Ardeates aeque in discrimen vocati cogitantur. Sed, quoniam ampliore notione vocis „res“ periculum quoque omnibus Ardeatibus a barbaris imminens continetur, expressa eius mentio supervacanea videtur eo magis, quod alia interpretatio melior est. Nam cum substantivo „res“ ipsorum Ardeatium condicionis ratio habeatur, in altero enuntiato *(commune per.)* adjectivum „commune“ ad utrumque populum, Ardeates et Romanos, spectat *(cf.* §. 3 *huj. cap. „ex hoste communi“)* optimeque declarat, quod Camillus in Ardeatium contionem processerit. Quae cum ita sint, vis enuntiati haud dubie in adjectivo „commune“ vertitur ob eamque causam verborum ordo a Veronensi servatus, quo illius notio intenditur, non solum praestat sed fere necessarius est. Ad confirmandam autem Veronensis lectionem duae res accedunt, quas supra ad 4, 24, 6 pag. 37 seqq. et 5, 33, 5 explicavi *(pag.* 26/27*)*.

Reliquus est in hac discrepantiarum serie unus locus 6, 2, 6, ubi legitur in Ver.: „ut seniores quoque, quibus aliquid roboris superesset, in sua verba juratos centuriaret *(scil. dictator)*“ in Vict. „in verba sua“. Satis constat inter omnes, pronomina possessiva ante nomen non collocari nisi cum vi quadam pronuntiari ea oportet. Quod maxime fieri consentaneum est, si aut de qua oppositione agitur aut ad personam quid pertinere dicitur, in qua minus exspectes *(cf. quae Luchsius exposuit de differentia enuntiatorum „manu sua“ et „sua manu“ Prolog. pag. CXV)*. Sed redeamus ad exemplum, a quo profecti sumus, in quo et ipso res extraordinaria a dictatore facta esse narratur. Nam cum seniores raro (5, 10, 4) eodem, quo juniores modo conscribantur atque in centurias distribuantur, saepius quidem absentibus, quibus summum imperium est, magistratibus a praefecto urbis vel a praetore ad custodienda moenia stationesque agendas evocentur et ab

iis sacramento adigantur, singularis res est, quod in ipso initio belli omnes seniores a dictatore in verba eius jurati centuriantur. Sententia ita intellecta verborum ordo „in sua verba“ praeclare huic loco accommodatus est, quem Victorianus vel Nicomachi temere turbarunt.

Jam vero ut ad collocandi adverbii discrepantias accedamus, brevissime tres locos, quorum duos 3, 62, 6 *[Ver.: „alterum (scil. exercitum) nova nuper victoria elatum“; Vict.: „alterum nuper nova victoria elatum“]* et 4, 13, 12 *[Ver.: „Quinctius primo abnuere“; Vict.: „primo Quinctius abnuere“]* Wodrigius ex Veronensi, unum 3, 65, 6 *[Ver.: „urbano otio foris quoque omnia tranquilla adfirmantes“; Vict.: „urbano quoque otio foris etc.“]* Madvigius jam ante proditum in lucem Veronensem recte conformaverunt, commemorasse satis est.

Deinde 3, 68, 2 tradunt libri Victoriani „fumare incensa passim tecta“; Ver.: „fumare passim incensa tecta“, ita ut in priore lectione adverbium „passim“ cum solo enuntiato „incensa tecta“ conjungi possit, in posteriore ex usu sermonis Liviani *(cf.* 1, 29, 6*;* 2, 26, 1*;* 2, 45, 11*;* 2, 51, 5*)* eodem quidem trahi liceat, sed simplicius ad verbum „fumare“ spectet. Si igitur sententiarum nexum respicimus, tenendum est, locum, de quo agimus, in acerrima Quinctii consulis oratione inveniri, qua cives in urbem conglobatos et ad arcendos hostes ne minimum quidem inclinantes, adversus populatores instigare atque ad pugnam accendere vult. Hortatur autem eos, ut extra portam Exquilinam egrediantur aut, si ne hoc quidem audeant, ad visenda belli mala moenia conscendant; ibi pergit „ex muris visite agros ferro ignique vastatos, praedam abigi, fumare passim incensa tecta *(Vict.: „fumare inc. pass. tecta“)*“, quibus verbis id assequi studet, ut cives proposita ante oculos totius agri populatione summa indignatione affecti arma capessant. In quo contextu consentaneum est, Quinctium verborum conformationem usurpare talem, ut ea, quae fiant, perspicue ante audientium animos versentur. Quod enuntiato „fumare passim“ certe melius quam verbo „fumare“ nude posito efficitur, cum ipso fumo ubique conspecto incendia ab hostibus facta animadverti possint *(cf.* 2, 63, 2*: „cum Volscos adesse fumo ex incendiis villarum fugaque agrestium cognitum est“).*

Loco 5, 31, 2 *[Ver.: „Marcus Manlius, cui Capitolino fuit postea cognomen"; Vict.: „Marcus Manlius, cui Capitolino postea fuit cognomen"]* Livius aperte annales recentiores sequitur *(cf. Mommsen Hermes V,* 247; *Schwegler: Röm. Gesch. III,* 258*)*, in quos narratio haud dubie falsa illata erat, M. Manlio a servato Capitolio Capitolino cognomen esse inditum. Atque mihi quidem verisimile esse videtur, consilio sive a Livii auctore sive ab ipso, ut suam de Manlii cognomine sententiam vetustiori opponeret, cum vi quadam *(cf. Raspe l. d. pag.* 38*)* adverbium „postea" post „fuit" et ante vocem „cognomen" esse collocatum.

Veniamus ad 6, 1, 10 *[Ver.: „alia ex eis etiam edita in vulgus; quae autem ad sacra pertinebant, a pontificibus .... suppressa"; Vict.: „alia ex eis edita etiam in vulgus"]*, ubi de collocando adverbio „etiam" agendum est. Priusquam autem de ipso adverbio exponamus, pauca praemittere mihi liceat de verbis „ex eis", quae Schoellius *(Legis XII tabularum reliquiae Leipzig* 1876 *pag.* 1 *nota* 1*)* et ad leges regias et ad legem XII tabularum refert *(cf. Weissb. ad h. l.)*. Sed probata eius interpretatione, qui unam recensionis Victorianae lectionem noverat, ea manet difficultas, quod propter voces „etiam in vulgus" suspicari potest, legum XII tabularum editionem, sicut regiarum, memorabilem atque inexspectatam fuisse. Praeterea propter verba „quae autem ad sacra pertinebant, a pontificibus ..... suppressa" enuntiato „alia .... edita" opposita facile credas, omnem illam XII tabularum partem, quae ad res sacras pertinuerit, suppressam esse, cum de fastis tantum constet *(cf. Cic. ad Atticum* 6, 1, 8*)*. Fastorum vero in insequentibus paragraphis *(§.* 11 *seqq.)* aperte illata est mentio. Quare pronomen „eis" utique ad solas leges regias respicere judicaremus, etiamsi Veronensem non haberemus, cujus ordo verborum „ex eis etiam edita in vulgus" optime in veram demonstrativi „eis" interpretationem quadrat. Etenim si adverbium „etiam" cum pronomine „eis" conjungimus, leges regiae statim a duodecim tabulis separatae cogitantur, cum harum editio ut res necessaria e contextu sumenda sit, illarum, quas usque ad illud tempus vulgus non cognovisse videtur, editio revera memorabilis fuisse appareat. Quod cum et ipsi

correctores recensionis Victorianae intellegerent, transposito adverbio „etiam“ atque ad vocem „vulgus“ sumpto scriptoris sententiam magis perspicuam reddere voluerunt, sed nimio mutandi studio rapti non animadverterunt, scripturam suam facillime causam falsae interpretationis legentibus afferre posse.

Loco 3, 11, 11 *[Ver.: „multa ibi saepe“; Vict.: „ibi multa saepe“]*, quamquam Victorianae recensionis scriptura nullam offensionem praebet, rarior Veronensis conformatio *(cf. Weissb. ad h. l.)*, quae consilio augendae notionis „multa“ satis defenditur, propter auctoritatem ejus iterum atque saepius cognitam *(cf. maxime, quae ad* 4, 17, 9 *pag.* 8 *seq. collegi)* retinenda erit.

Falso haud dubie exhibet Veronensis locum 5, 4, 9 *[Ver.: „aut non bellum suscipi oportuit, aut geri etc.“; Vict.: „aut bellum non suscipi oportuit, aut geri etc.“]*, qui tamen ita comparatus est, ut Victorianus vel Nicomachi vitium communis fontis in codice suo inventum facile perspicere atque emendare potuerint.

Restant tres loci et inter se diversi et nulli earum, quas distinxi, classium tribuendi 3, 24, 4 *[Ver.: „unquam non modo in publico visum, sed ne adsurrexisse quidem ex morbo“; Vict.: „unquam non modo visum in publico etc.“ cf. Wodrig. ad h. l.]*, qui locus adiciendus est eis, quibus pravo variandi studio propter insequentis paragraphi enuntiatum „Caesonem Romae visum“ Victorianus vel Nicomachi a vero aberrarunt; 5, 7, 12 *[Ver.: „equitibus peditibusque“; Vict.: „peditibus equitibusque“]*, quem Wodrigius tractavit, Studemundus absolvit *(cf. Mommsen-Studemund.: Analecta Liviana pag.* 27*)*; 3, 43, 7 *[Ver.: „invidiaeque plena erant castra et Romam ferri protinus Siccium placebat“; Vict.: „invidiaeque plena castra erant etc.“]*, quo loco Veronensis verborum ordo propter vicissitudinem vocabulorum cum accentu pronuntiatorum et carentium eo *(cf. Kühner l. d.* §. 247, 7*; Kühnast l. d. pag.* 314 *inf.)* magis placet et oppositio vocum „castra“ et „Romam“ usurpata chiasmi figura sententiarum nexui maxime accommodata est.

Haec fere habui, quae de verbalibus formis atque de ordine verborum dicerem. Ut breviter sententiam meam de recen-

sionibus proponam, Veronensem etsi mendis refertissimum utique recensioni Victoranae fide praestare arbitror. Nam cum et tres illae interpolationum classes *(cf. ad* 4, 17, 9 *pag.* 8 *seq.; ad* 5, 33, 5 *pag.* 26/27; *ad* 4, 24, 6 *pag.* 37 *seqq.)* et lacunae saepius parum probabiliter expletae *(cf. ad* 4, 17, 11 *pag.* 10 *seqq.)* et vitia communis fontis non recte expulsa *(cf. pag.* 18 *seqq.)*, denique multi loci temere mutati fidem recensionis a Victoriana atque a Nicomachis susceptae perexiguam esse demonstrent *(cf. Niebuhrii judicium pag.* 3 *exscriptum)*, Veronensis in duobus differentiarum generibus, quae pertractavi, interpolandi studio prorsus liberandus est. Quare, si eae discrepantiae, quas intactas reliqui, et ipsae accurate collectae atque tractatae erunt, haud dubie non solum in eis libris, ubi Veronensis exstat, sed etiam ad constituendam totam primam decadem summus percipietur fructus.

Vita.

Guilielmus Jung, ego natus sum Hannoverae Cal. Maj. a. 1861 patre Carolo, quem ante biennium praematura morte mihi creptum esse valde doleo, matre Eugenia, e gente Schmettau, quae adhuc superstes est. Octo annos natus a. 1869 in gymnasium, quod tum rectore Ludolfo Ahrensio in urbe nostra florebat, receptus sum atque paschali tempore a. 1878 maturitatis testimonium adeptus Lipsiam me contuli, ut studiis philologicis nec non historicis me darem. Ubi cum per tria semestria scholis clarissimorum virorum Langii, Ribbeckii, Curtii, Lipsii, Overbeckii, Arndtii interfuissem, post patris mortem Gottingam profectus sum, ut studia mea ad finem perducerem. Adii igitur per quattuor semestria scholas virorum illustrissimorum Sauppii, Lentschii, Diltheii, Paulii, Waitzsaeckeri, Bernheimii, Baumanni, Mülleri, Ritschelii, quorum omnium multa in me merita pio fidelique animo agnosco. Privata studia mea Hermannus Sauppius summa humanitate fovit atque auxit, cui gratias ago quam maximas.